



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Tractatus VII. De Matrimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)



TRACTATUS VII.

DE MATRIMONIO.

SECTIO I.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT I.

*De Natura, Divisione, & effectibus
Sponsaliorum.*

Prætermisſis aliis ſignificationibus nomine ſponſaliorum intelligit Doctor Angelicus quæſt. 43. ſupplementi art. 1. mutuam promiſſionem futuri matrimonii viciffim factam ab illis, qui matrimonium contracturi ſunt: ad hoc autem ut ex iſta promiſſione vera reſultent ſponſalia requiruntur juxta commune Doctorum placitum ſex conditiones. 1. Quod ſit promiſſio mutua, 2. vera & ſeria: 3. voluntaria & deliberata: 4. exteriori quodam ſigno ſufficienter manifeſtata; 5. inter perſonas ad contrahendum habiles, & 6. obligatoria ſtatim, ſi absolute facta ſit, ſi autem ſub certa conditione inita ſit, expleta conditione.

Exponuntur singulae conditiones. *Prima* requirit, ut sit promissio mutua; est autem mutua, si illi, cui sit promissio, non solum significatur, sed etiam ab eo acceptatur, & vera promissione confirmatur: necessariam esse mutuatam in hoc sensu promissionem colligitur tum ex allegata definitione, tum ex natura contractus onerosi, ultro, citroque obligantis. *Secunda* exigit, ut sit promissio vera, id est, animo obligandi facta; obligatio enim est de essentia promissionis, cum per hoc distinguatur a simplici proposito, quantumvis efficaci: qui ergo sine animo se obligandi promittit, invalide quidem promittit, peccat tamen mortaliter, eoquod in re gravi & contractu oneroso partem alteram iniuste decipiat. *Tertio* conditio postulat, ut sit voluntaria, & deliberata; cum enim promissio huiusmodi sit actus humanus, debet fieri cum deliberatione, & advertentia, eaque tanta, quae sufficeret ad peccatum mortale in quocumque genere: hinc non sufficit promissio facta ab eo, qui vel ad usum rationis nondum pervenit, vel si ad eum jam pervenit, tempore promissionis delirio vel ebrietate opprimitur.

Conditio quarta ad valorem contractus spontaneitatem requisita est, quod signo quodam exteriori promissio sufficienter manifestetur; hoc enim exigit quilibet contractus humanus, cum homines tantum ea, quae apparent sensibus, cognoscant, & cor soli Deo notum sit: in dubio autem signi sufficientis exploranda est intentio illius, quod tale signum dedit, & juxta conscientiam, quam

habuit, judicandum. *Conditio quinta* est, ut promissio procedat inter personas ad contrahendum habiles; est vero inhabilitas duplex, naturalis scilicet, & legalis: prior oritur ex amentia, ebrietate completa, & ex ætate usum rationis precedente; posterior desumitur ex impedimento dirimente matrimonium: utraque inhabilitas officit valori sponsaliorum. Quinimo invalida etiam sunt sponsalia cum impedimento impediente, si sint absolute contracta; sicut enim stante tali impedimento matrimonium non potest sine peccato gravi contrahi, sic neque sine peccato gravi promitti: promissio autem de re graviter illicita est nulla. Ultima denique conditio, quod sit promissio obligatoria fluit ex valore sponsaliorum: quilibet enim contractus inducit obligationem.

Quod attinet sponsaliorum divisionem, communiter ea tribuuntur dumtaxat in absoluta, & conditionata; absoluta dicuntur, quando sit mutua promissio matrimonii absolute, seu sine omni conditione adjecta: conditionata vocantur, quando ex parte promittentis, vel unius vel utriusque certa apponitur conditio.

Plura sunt conditionata sponsalia, quibus sicut diversæ apponi possunt conditiones, sic varia de ipsis ferenda est sententia. Etenim si subsistat conditio, aut est necessaria, aut specialiter ad matrimonii contractum requisita, absoluta censentur sponsalia, ac si itidem nulla apposita esset conditio. Hinc si fidelis mahumetanæ mulieri ita promittat: uxorem te accipiam, dummodo

modo Christi fidem amplectaris: nisi ista impleatur conditio, non potest matrimonium valde inter ipsos celebrari.

Si impossibilis conditio vel turpis ideo additur, ut consensum excludat, nulla adest promissio; nihilominus in foro exteriori, in quo probari nequit hæc intentio, adhuc valet promissio si quidem, ut Gregorius IX. Pontifex inquit: *Conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi* (extra de condit. appos. cap. finali).

Conditiones quædam quamvis honestæ matrimonio sunt contrariæ, exempli gratia conditio de non petendo neque reddendo conjugali debito, quæ promissionem nullam reddit. Ratio, quam afferunt sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Richardus, Hadrianus, omnesque pene Theologi, est quia hujusmodi conditio non modo carnalem copulam excludit, quod ex mutuo consensu post matrimonii celebrationem fieri potest; sed reciprocam etiam excludit corporum traditionem, quæ est de substantia matrimonii.

Quoad conditiones honestas, quæ matrimonio non repugnant, si sint de præsentibus, valent sponsalia, quando vera est conditio. Exempli gratia si quis puellæ dicat: Ego te in uxorem accipiam, si vigesimum attigisti ætatis annum aut liberam bonorum tuorum administrationem adeptus es: si vera non est hæc conditio, non

valet promissio; si autem subsistit conditio, promissio valet, & obligat.

Si vero conditio est de futuro, veluti si quis dicat: Ego te uxorem accipiam, si pater tuus assentiatur, aut si mihi mille aureorum dotem tribuas: si conditiones istæ non impleantur, nulla est promissio; quod si impleantur, promissio valet.

Fieri quandoque potest, ut verbis, quæ consensum de præsentis exprimunt, conditio de futuro addatur; sicut si quis puellæ dicat: Te in uxorem accepturum me promitto, si quingentos aureos cras mihi dederis: tunc sponsalia nulla adsunt, donec impleatur conditio; novoque opus erit consensu, ut matrimonium fiat, siquidem conditio apposita est de futuro. Verba hæc de præsentis (inquit divus Thomas *distinct.* 19.), futurum tempus quodammodo significant.

At Tridentini Concilii Decretum, quo, coram Parocho & testibus ut fiant matrimonia, præcipitur, has omnes difficultates amputat.

Sponsalia juramento firmata validiora quidem sunt, quam absque juramento facta; attamen sunt solum promissio de futuro, etiamsi coram Parocho fiant, quia juramentum promissionis naturam non mutat, sed tantum confirmat. Circa sponsalia ista sic definit Alexander Papa III. *De illis, qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, sed ad partes alias transferentes; hoc tibi volumus innotescere, quod libe-*
rum

rum erit mulieribus ipsis (si non amplius in fide est processum) ad alia se vota transferre, recedendo de perjurio pœnitentia, si per eas steterit, minus fuerit matrimonium consummatum. (lib. 1. decretal. cap. 5.)

Doctrinam hanc de sponsalibus conditionatim consummatim complexus est divus Thomas in supplemento quæst. 43. art. 1. his verbis: Si promissio sub conditione distinguendum est; aut est conditio honesta cum dicitur: accipiam te si parentibus placeat, & tunc stante conditione stat promissio, & non stante non stat; aut est inhonesta & hoc dupliciter, quia aut est contra bonum matrimonii, ut si dicam: accipio te, si venenum mortalitatis procures: & tunc non contrahuntur sponsalia; aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam: accipiam te, si consentias furtis meis, & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

Quando sponsalia conditionata, purificata jam conditione transeunt in absoluta, juxta communioem, & probabiliorem cum Paludano in 4. d. 29. q. 2. a. 4. Navarro in Enchiridio c. 21. n. 63. & aliis non requiritur novus consensus non retracto prioris consensu: quia sponsi per tempore purificato conditionis se obligare volunt, & reapse obligarunt. Dicitur est autem non retracto consensu, quia si forte retractatus fuisset, cum jam peccaverit graviter, qui sine causa retractavit, tenetur novum elicere ad validitatem contractus requisitum (a): sententia hanc etiam

(a) Si antequam purificetur conditio, sponsi se invicem carnaliter cognoscant, juxta stylum Co-

etiam locum habere viderur in eo casu, quo sponsalibus apponitur conditio perendæ dispensationis supra impedimentum matrimonii dirimens, si sponsi habuerint verum animum perendi dispensationem, & impedimentum aliunde soleat dispensatione auferri; tunc enim purificata conditione obtentæ dispensationis sine novo consensu id genus sponsalia conditionata transeant in absoluta; quia quamvis sponponderint, dum essent inhabiles, censentur tamen tunc habuisse voluntatem se obligandi, quamprimum potuissent, quæ voluntas, nisi retractetur, eosque perseverat, quousque impetrata dispensatione evadit absoluta. Diximus vero: *si impedimentum aliunde soleat dispensatione auferri.* Si enim ex illis impedimentis esset, quæ aut nunquam dispensari consueverunt, aut saltem non cum talibus personis, sponsalia hujusmodi essent de conditione moraliter impossibili, & nulla foret promissio: quippe quod habenda esset conditio, ut non apposita.

Effectus sponsaliorum validorum triplex assignari solet. *Primus* est obligatio contrahendi matrimonium tempore congruo. *Secundus* inducere impedimentum dirimens matrimonium, si celebretur cum conjunctis sponsi in primo gradu:

riarum Episcopaliū, Ratisbonensis, Augustanæ & Constantiensis, hic actus, licet ex se graviter illicitus sit, efficit sponsalia absoluta: quia sufficienter manifestat animum absolutum reciproce sese assumendi in conjuges. Ita P. Gobat. num. 278.

du: nempe ne sponsus valide possit ducere sororem, aut matrem, aut filiam sponsæ, & vicinè ne sponsa valide possit nubere, fratri, patri aut filio sponsæ. Impedimentum hoc dicitur publicæ honestatis: de hoc plura inferius. Tertium denique effectus est afferre jus ad rem erga corpus alterius sponsi, ex quo sequitur, quod alter sponsorum carnaliter peccet cum alia persona, necdum castitatem, sed etiam justitiam graviter violet: hæc proin circumstantia in confessione est aperienda. Hic probe observandum, quod, ut modo diximus, virtute sponsalium sponsi sibi tradant invicem *jus ad rem* in proprium, non autem *jus in re*: hoc enim posterius traditur dumtaxat ineundo matrimonium. Et hoc facile colligitur, quam manifeste ad latitudinem deflectant nonnulli theologastri recentiores, qui sponsis matrimonio nondum copulatis permittunt absque gravi piaculo, actiones quasdam, uti amplexus, oscula & tactus ex se non admodum turpes, affectu etiam venereo eliciendas, quæ omnia licet habentibus *jus in re* indulgeri possint, non tamen habentibus solum *jus ad rem*, etsi enim actus illi non sint ipsa copula, sunt tamen actus, quibus exercetur *jus in re* imperfectum, quo jure in re sponsi omnino carent, & consequenter actus illos exercendo graviter peccant. Exempla patent tum in aliis contractibus promissionis, tum etiam in aliis personis solo jure ad rem gaudentibus; sic enimvero electio ad Beneficium, cum solum ei *jus ad rem* competat, nemo unquam concedet rebus beneficii, aliisque ei annexis, aliquo modo vel ex parte

uti, antequam habeat jus in re per collationem, & possessionem: sic etiam Petrus, cui Paulus promisit venditurum se anno sequente agrum, acquirit equidem jus ad rem in agrum illum, ita, ut alteri nec vendi, nec promitti possit, non potest tamen quidquam ex illo agro percipere, priusquam legitima possessione jus in re obtineant. Caveant ergo Confessarii ea permittere sponsis, quæ nec ipse permittit Deus.

CAPUT II.

De Requisite ad licite tum contrahenda, tum dissolvenda sponsalia.

Ea, quæ ad valide ineunda sponsalia requiruntur, præcedenti capite exposuimus, ubi ad vera sponsalia certas condiciones juxta communem Doctorum sententiam attulimus; nunc restat ea breviter percurrere, quæ requiruntur ad hoc, ut sponsalia licite tum contrahantur, tum dissolvantur; ad sponsalia ergo licite contrahenda primo requiritur consensus Parentum: est enim ommissio gravis reverentiæ debitæ Parentibus in re maximi momenti, & ex consequenti, qui hoc modo sponsalia facerent, graviter peccarent. Hoc non obstante licitum est, inire sponsalia sine prævio Parentum consensu, quando prudentissime prævidetur, eos omnino irrationabiliter dissensuros ex motivo quodam inhonesto; puta ex inordinata passione avaritiæ, vel injusti odii erga personam desponsandam, vel superbiæ, & ambitionis: ii nihilominus, qui hoc modo sese despondere intendunt, non proprio, sed

Virorum prudentum arbitrio in ista re rite procedant, ne plura eveniant mala in familia cognatione desponsandorum (a).

Præter consensum Parentum *secundo* ad peragenda sponsalia requiritur, sicut celebrantur coram idoneis testibus; numquam enim sumenda bona, ut eveniant mala: hæc autem verumque evenire solent in sponsalibus clandestinis contractis, eoquod ex una parte cum multis ordinariæ deordinationibus conjuncta sint, ex altera vero parte experientia frequentissime docet, occultis hisce contractibus mala gravia induci, nec satis arceri posse prætextus, qui ob constantia sponforum non raro proficiscuntur.

(a) Si casus aliquis gravior occurrat de sponsalibus, quæ a filiis familias fiunt Parentibus aut vitis, aut omnino insciis, consuli plane meretur doctissima dissertatio theologico-legalis Auctoris Francisci Maria Muscettula Archiepiscopi Romanensi anno 1742. edita Neapoli, cui ab altera manu accessere 1. plures notæ, 2. Mantilla sponsal. filiorumfamil. 3. duæ diatribæ, 4. edicta, 5. auctarium monumentorum.

(b) Synodus Augustana anno 1610. celebrata decernit: *Sponsalia non clandestine, sed in angulo sed in domo aliqua honesta coram testibus fiant. Parochi, nec alterius Sacerdotis ejus loco substituti præsentia necessaria est, ut legitime, et valide contrahantur; quin expedit magis non interesse imperitiores verum matrimonium contractum credant. Ultro se nullus Parochus sponsalibus ingerat, et ubi hactenus vocari non consueverunt, non facti etiam vocati ad ea posthac accedant.*

Præterquam vero quod ad licitum contractum sponsalium & consensus Parentum, & præsentia testium necessario exigatur, etiam tertio requiritur, ut sponsus & sponsa fidem Catholicam profiteantur: unde sponsalia personæ Catholicæ cum hæretica sunt graviter illicita, nisi aut Papæ, aut Episcopi accedat dispensatio; miscere siquidem connubia cum hæreticis lege Ecclesiastica sæpius prohibetur (a): cum ergo in tali lege pro casu particulari nemo possit dispensare, nisi Romanus Pontifex, aut ubi ad eum difficilis est recursus, Episcopus, alterutrius dispensatio ad licitam desponsationem sine dubio necessaria est. Ecclesiæ profecto Pastoribus incumbit examinare, utrum, & quale periculum perversionis in persona Catholica versetur? vel utrum causa motiva ad contrahendum sit tanti ponderis, ut stante aliquo perversionis periculo ad dispensandum sit sufficiens? certe raro abest omne perversionis periculum: hinc etiam raro superpetet sufficiens ratio dispensandi, nisi pro motivo bonum publicum veraciter allegetur.

Ea, quæ modo allata sunt, necessario præ-
exiguntur ad pacta sponsalitia licite ineunda;
multo plura sunt, quæ ad eadem licite dissolven-
da

(a) Concil. Laodicen. can. 10. prout refertur Tom. I. Collect. Hard. Col. 784. Agathense can. 67. relato a Gratiano XXVIII. q. 1. can. 16. Chalcedonense can. 14. Item Bonifacius VIII. in cap. decrevit. de Hæreticis in 6. Vid. Benedict. XIV. de Synod. diocæses. l. 6. c. 5.

da & requiruntur, & sufficiunt: potissimas tamen causas hic loci proponimus, quibus vinculum sponsaliorum relaxatur. *Prima* causa dissolvens sponsalia est mutus, & vere liber utriusque sponsi consensus, cum uterque possit suo cedere, hocque verum, etiamsi fuisset iuramento firmata: nam cum sit iuramentum promissorium futuri matrimonii, semper intelligitur factum, nisi promissarius remittat. *Causa* hæc prima procedit de iis, qui talem contractum statuunt, ubi annos pubertatis jam attigerunt: si enim vel alteruter, vel ambo adhuc essent in statu impubertatis, expectanda foret ætas pubertatis, in qua promissionem antea factam, ratam habeant, aut rescindant.

Causa secunda est notabilis mutatio sponsalibus superveniens, quæ talis, ac tanta est, ut, si antea extitisset, sponsalia non fuissent inita; actus enim operantium non operantur ultra intentionem: ad similes autem casus intentio promissionum se extendisse non præsumitur. Idem dicendum, si ex matrimonio promisso mali eventus, qui non fuerint prævisi, timeantur, nempe scandala, inimicitia &c. cum enim ipsa celebratio matrimonii, nisi remediis congruis multis similia præcaveri possint, evadat illicita, eo ipso ruit obligatio ad illud celebrandum, adeoque contractus sponsalitus enervatur.

Causa tertia oritur ex eo, quod sponsus vel sponsa cum alia persona fornicetur; ita statuitur cap. *quemadmodum*: de iurejurando 25. rationem assignat D. Thomas: q. 43. *Supplem. a. 3.*

ad 6. his verbis: *Quamvis sibi nondum mutuo dederint potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum.* Ista doctrina eo magis tenenda est de fornicatione spirituali per hæresim, vel apostasiam, sive præcedentem, sive subsequentem sponsalia.

Causa quarta est professio alterius sponforum in Religione quadam approbata; quia vel ex implicito hujus contractus consensu, vel saltem ex dispositione Ecclesiæ semper subintelligitur hæc conditio: *nisi statum meliorem elegero.* Eadem causa se extendit ad sincerum ingressum religionis; nec tenetur altera pars in sæculo remanens expectare professionem alterius in Religione: quia pars ingressa, hoc suo facto, se resilire a sponsalibus sufficienter declaravit, & aliunde grave admodum esset, integrum per annum expectare. In casu autem, quo pars religionem ingressa non profiteatur, sed ad sæculum redeat, tenetur ad petitionem partis relicte, stare sponsalibus. Hæc porro libertas ingrediendi religionem non tollitur per juramentum contractui sponsalicio forte appositum; juramentum enim non mutat naturam hujus promissionis: contrarium est dicendum, si sponsus vel ante vel post sponsalia emittat tale votum, & sponsam voti ignaram defloret, eoquod tunc votum esset injustum, & graviter injuriosum defloratæ, quæ, cum alteri nuberet, non sine gravi dedecore suo deflorata inveniretur.

Disputant hic loci acriter Theologi, an etiam votum suscipiendi sacrum ordinem, salvo semper injusto gravamine sponsæ jam explicato, dissolvat sponsalia; Doctor Angelicus q. 53. *Supplem. art. 1. ad. 1.* tenet sententiam affirmativam, quod votum simplex castitatis dirimat sponsalia, multo magis proin votum suscipiendi sacrum ordinem, cum hoc præter perpetuum continentiae obligationem, perpetuum etiam votum Deo, & Ecclesiæ exhibendum inducat. Nihil deest sana ratio; promissio enim sponsalitia semper per hanc reservationem includit: nisi meliorem statum elegero. Licet autem Jus Canonicum applicet ad statum religiosum, militat tamen eadem ratio pro statu ordinis sacri Ecclesiæ. Addunt nihilominus aliqui D. D. tam circa votum ordinis sacri, quam circa votum perpetue castitatis sequentes limitationes. *Prima* est, ut sponsalia fuerint publice contracta; quia tunc moraliter impossibile esset, amovere scandalum pusillorum. *Secunda* est, quod hoc sit verum pro foro conscientiae tantum: si enim in foro exteriori a iudice ad servandam fidem obstringeretur eidem procul dubio esset parendum. *Tertia* est, ut id genus vota emittantur sincero animo, Deo in statu meliore vacandi; si enim alio quovis fine emitterentur, nec pro foro conscientiae sponsalia relaxarentur. *Quarta* denique est, ut omnia fiant, semoto undeunque scandalo: quod si enim tale prævideatur certo moraliter securum, pro omni foro sponsalia stringerent.

Causa quinta solvendi sponsalia nascitur ex eo, quod unus desponsatorum absque consensu alterius in longinquam regionem proficiscatur cap. de illis Tit. de sponsalibus, quia talis censetur ipso facto declarare mutationem voluntatis. Nec refert quidpiam si dicatur, quod in dubiis rarior pars sit eligenda; S. Thomas siquidem loco antea citato ad 2. respondet, quod *dubium illud determinatur ex hoc, quod alter non comparat tempore statuto ad matrimonium perficiendum: unde si ex parte jus non desuit, quin matrimonium completeret, potest licite alteri nubere.*

Causa sexta solvendi contractum sponsalitiu[m] desumitur ex eo, quando supervenit affinitas, vel quodcumque juris impedimentum; quinimo ad hunc effectum sufficit vel sola fama impedi- menti, vel scandalum; ita statuitur 27. q. 2. cap. si quis sponsam: & cap. cum in tua de sponsali- bus. Placitis sacrorum Canonum subscribit scho- larum Angelus loc. cit. a. 3. ad 4. si sponsus (in- quit) cognovit consanguineam sponsae, vel econ- tra, tunc dirimi debent sponsalia; & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum vitandum. Si vero pars innocens non obsta- te tali crimine velit persistere in data fide: pars nocens tenetur dispensationem petere, suisque sumptibus procurare.

Causam septimam relaxandi sponsalia praebet matrimonium ab uno sponsorum cum persona alia contractum; vinculum enim minus forte solvitur a vinculo fortiori: graviter tamen illicitum est tale matrimonium, utpote celebratum



cum gravi injuria partis derelictæ. Sic statuerunt
 Canones in Tit. de sponsalibus cap. *sicut ex libe-*
teris. cap. si verum. & cap. de sponsa duorum.
 In hoc autem casu pars derelicta licite contrahit
 cum alio; si vero in proposito suo persistat, &
 interea conjux alterius partis moriatur, tenetur
 pars viduata ducere partem antea derelictam
 tum quia obligatio ex sponsalibus oborta ex parte
 personæ nocentis non extincta, sed tantum
 suspensa fuit; tum quia nullum jus afferri po-
 test, declarans prima sponsalia fuisse annullata
 tum denique quia reus non debet utilitatem
 libertatis ex sua iniquitate reportare.

Ultima tandem causa, dissolvens sponsalia
 est recessus alterius partis, quæ vel absque gra-
 vi motivo contractui stare recusat, vel sine pro-
 denti causa celebrationem matrimonii, altera
 parte eam prudenter petente, idemdem diuina
 protrahit; sic enim recedens satis declarat, se
 mutasse mentem suam: præterea id ipsum est
 cap. *sicut*: de sponsalibus clare deducitur. Ergo
 ergo ex memoratis hisce causis post inita spon-
 salia se una prodat, dissolvuntur sponsalia, &
 quidem si fuerint occulte contracta, non est opus
 auctoritate judicis, si autem fuerint facta coram
 Parocho & testibus, ad dissolutionem eorum
 saltem pro foro externo requiritur auctoritas
 Judicis: si enim forte alterutra pars postea ne-
 garet, se consensisse in nullitatem sponsalium
 Judex in foro externo teneretur potius insiste-
 re testimonio negantis, & Parochi ac testium
 & consequenter pro valore contractus sponsalium

lii pronuntiare sententiam (a). Disceptant Theologi, utrum contractui sponsalicio possit adijci pœna quædam, a parte resiliens incurrenda? dubium hoc resolvimus sub distinctione; si enim pœna sit moderata, nec statuatur, nisi in resiliens injuste, licite & valide adijcitur, quia hæc conventio nec naturali, nec positivo jure prohibita reperitur: si autem pœna illa concernat eum, qui juste reslit, tunc nec licite, nec valide apponitur, eoquod talis appositio pœnæ tendat ad contrahendum matrimonium ex metu injuste incusso. Ita decernit Gregorius III. cap. *Gema. Tit. de sponsalibus*, ubi de puero, & puella septenni contrahentibus sponsalia sub pœna incurrenda a quomodocumque resiliens ait: *Cum libera matrimonia esse debeant, Et ideo talis stipulatio ob pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus, eundem, ut ab extorsione pœnæ prædictæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.*

(a) Statuta synodalia diœcesis Augustanæ p. 2. c. 10. sic habent: *Sponsalium, quæ publica fuerint, dissolutionem a Nobis, vel Curie Nostræ Augustanæ iudicibus petant.*



SECTIO II.

DE

NATURA, REQUISITIS, DISPOSITIONIBUS VARIIS ET ACTU MATRIMONII

CAPUT I.*De Natura & requisitis essentialis Matrimonii.*

Matrimonii nomine quatuor potissimum significari solent. *Primum* est ratio contractus quo contrahentes sibi invicem jus in proprium corpus ad prolem generandam actualiter tradunt & hoc vocatur matrimonium legitimum. *Secundum* est ratio Sacramenti a Christo Domino appositae contractui matrimoniali inter baptismum inito, unde virtutem conferendi gratiam habituales digne, ac vere contrahentibus acceptam & hoc appellatur matrimonium ratum inter Christianos. *Tertium* est obligatio indissolubilis & griter cohabitandi, fidem conjugalem servandi, debitum reddendi, prolem educandi, & invicem in ferendis connubii oneris sese adjuvandi & hoc dicitur vinculum perenne matrimonii. *Quartum* est ipsum exercitium commercii carnalis seu copulae in ordine ad prolem procreandam & hoc denique nuncupatur matrimonium consummatum.

Matrimonium sub prima significatione consideratum definitur a Doctore Angelico, & aliis, quod sit *viri, ac mulieris conjunctio maritalis, inter legitimas personas, ad individuum vitæ consuetudinem retinendam instituta*. Dicitur primo *conjunctio*, quo nomine significatur vinculum in conjugibus ex contractu inito remanens, & perpetuo durans: alia siquidem, uti actualis consensus, ejus signum exterius, ratio Sacramenti, & ipsa nuptiarum consummatio transeunt. Dicitur *secundo maritalis*: quoniam alia pactio- num genera, quibus viri & mulieres obligantur, ut mutuam sibi operam præsent, vel pretii, vel alterius rei causa, a matrimonii ratione prorsus aliena judicantur. Dicitur *tertio. Viri & mulieris*, ad excludendam scilicet polygamiam veteribus judæis permissam, legis autem Evangelicæ tempore omnino prohibitam. Dicitur *quarto inter legitimas personas*: quoniam, qui a nuptiarum conjunctione legibus seu naturalibus, seu positivis exclusi sunt, ad justa matrimonii fœdera ineunda apti esse non possunt. Dicitur *quinto ad individuum vitæ societatem retinendam instituta*. Quibus verbis denotatur matrimonii indissolubilitas omni jure cum naturali, tum positivo stabilita.

Matrimonium sub secunda significatione acceptum defini potest, quod sit *signum sensibile conjunctionis Christi cum Ecclesia, a Christo institutum, promissionem habens gratiæ, personas legitime conjunctas, ad individuum vitæ societatem unientis*. Cum enim Christus Dominus vellet

veller arctissimæ illius necessitudinis, qui ei
 Ecclesia intercedit, suæque erga nos imensa cha-
 ritatis certum aliquod signum dare, tanti my-
 stic Divinitatem hac potissimum maris, & fra-
 næ sancta conjunctione declaravit; quod quidem
 aptissime factum esse, ex eo intelligi potest, quod
 ex omnibus humanis necessitatibus nulla inter
 homines magis, quam matrimonii vinculum
 constringat, maximaque inter se vir, & uxor
 charitate, & benevolentia devincti sint: ar-
 idcirco fit, ut frequenter sacræ Litteræ nuptia-
 rum similitudine divinam hanc Christi, & Ec-
 clesiæ copulationem fidelibus ante oculos po-
 ponant.

Matrimonium sub utraque hac priori spe-
 cificatione definitum essentialiter involvit ea, quæ
 sub aliis duabus significationibus importantur:
 agitur enim hoc loco de matrimonio inter Chri-
 stianos legitime contracto. Porro ad tale ma-
 trimonium & licite, & valide contrahendum præ-
 necessario requiruntur; & imprimis quidem
 omnia ad contractum matrimonialem licite per-
 gendum prærequiruntur, quæ paulo ante ad
 citam sponsaliorum celebrationem requiri dictum
 fuit (a). Præterea, cum matrimonium inter
 Christianos a Christo ad prærogativam Sacramen-
 ti fuerit sublimatum, reverentia sacrosanctis Ec-
 clesiæ Sacramentis debita exigit, ut fideles
 tam conjugalem in statu gratiæ suscipiant.

(a) De matrimoniis sine consensu Parentum con-
 tractis Consuli debet vel maxime eximium opus
 Benedicti XIV. R. P. de Synod. dioces. lib. 7. c. 3.

pariter, quæ ad valorem sponsaliorum necessaria sunt, ad matrimonium valide contrahendum, veluti quædam præambula, indispensabiliter requiruntur; insuper sacra Synodus Tridentina ad evitandas malorum hominum fraudes quasdam solemnitates, de quibus infra sermo erit, præscripsit, sine quibus matrimonia declaravit esse invalida.

Ut requisita essentialia ad valorem matrimonii rite dignoscantur, matrimonium ex una parte ut Sacramentum, & ex altera ut contractus considerari debet; ad matrimonium, ut est Sacramentum, essentialiter tria requiruntur, scilicet materia, forma, & minister: patet hoc ab inductione cujusvis Sacramenti. Materia matrimonii sub hac consideratione duplex distinguitur, remota una, & altera proxima, priorem constituunt ipsa sponсорum corpora in contractu celebrando tradenda: posterior est reciproca corporum traditio in celebratione expressa. Forma est ipsa corporis traditi reciproca acceptatio per assensum expressa; sic enim Divus Thomas *quæst.* 42. *Supplem. art. 1. ad 1.* docet: *Verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus Sacramenti.*

Ex doctrina hac Angelica sequitur, ministerium hujus Sacramenti competere ipsis contrahentibus; minister enim, ut in aliis Sacramentis constat, dicitur ille, qui formam pronunciat, contrahentes vero pronunciant formam. Unde addit ibidem S. Doctor: *Non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. Con-*
sen-

sentit etiam huic sententiæ Concilium Florentinum, quod in Decreto Unionis ita loquitur: *Causa efficiens matrimonii est mutus consensus per verba de præsentibus expressus.* Profecto, si contrahentes ipsi essent ministri, sequeretur, ut non conveniens numquam solvendum; matrimonia enim clandestina inter baptizatos non forent sacramenta, cum illis desit præsentia, & benedictio Sacerdotis: jam autem ante legem Tridentinam ab Ecclesia fuisse acceptata hujusmodi matrimonia, ut Sacramenta, certum est. Præterea lex ista pluribus in locis non fuit recepta: proinde ibidem matrimonium careret gratia sacramenti.

Matrimonia per procuratores inter ababsentes contracta valere in ratione contractus etiam post Tridentinam, ferme unanimis tenet sententiarum virorum assertio: nihilominus conditiones, quas Jus Canonicum cap. finali de Procuratoribus præscribit, exacte sunt observandæ. Unde etiam hujusmodi matrimonia etiam valent in ratione Sacramenti, summopere a Theologis controversatur; sententiam, quæ valorem non habet, Durandus, Canus, Cajetanus, & alii præferunt: opinionem vero, quæ valorem adfirmat, tenent Innocentius, Hostiensis, & Paludanus cum pluribus aliis.

Assertio affirmans videtur esse probabilior. Ecclesia enim id genus matrimonia approbando eademque approbando numquam declaravit, ea dumtaxat rata habere ut contractus civilis hoc autem declarare dudum debuisset, ne populus silentio Ecclesiæ decepti gratia sacramenti

in hoc statu apprime necessaria privarentur. Adde, quod nihil desideretur eorum, quæ ad verum Sacramentum necessaria sunt: habetur siquidem materia, & forma, ac insuper Parochi, & testium præsentia (a).

Requisita essentialia matrimonii, prout hoc in ratione contractus attenditur, concernunt consensum eorum, qui nubunt, circa quem nonnulla hic declaranda sunt (b).

Viri

(a) Si quæ forsitan conditiones matrimonio apponantur, standum erit Decreto Gregorii IX. in quo hæc leguntur cap. *Finali*. de conditionibus appolitis: *Si conditiones contra substantiam matrimonii inserantur; puta si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam honore, aut facultatibus digniorem, aut si pro quæstu ad adulterandum te tradas &c. matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis caret effectu: licet aliæ conditiones appositæ matrimonio, si turpes vel impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Idem docet Divus Thomas *quæst. 47. Supplem. art. 5.*

(b) Consensus in matrimonium dupliciter considerari potest; vel enim contrahens dat consensum obligandi se oneribus matrimonii, vel dat consensum se oneribus hisce obligandi, & ea implendi: primum requiritur, loquendo de consensu saltem implicito, ad valorem matrimonii, cum voluntas se obligandi sit de essentia contractus onerosi, qualis est contractus matrimonialis: alterum si ex utraque parte adsit, & licitum, & validum erit matrimonium quoad consensum contrahentium.

Viri & mulieris mutuus consensus per verba de presenti requiritur, ut matrimonium verum sit & indissolubile; etenim, si verba tantum essent de futuro, non fieret per ea matrimonium sed fierent solum sponsalia. Hic consensus mutuus esse debet, siquidem matrimonium inter duas personas contrahitur, quarum utraque corpus suum alteri invicem tradit, quod sine verborum consensu fieri nequit: debet quoque consensus hic exprimi verbis, vel signis, quae verborum vicem gerant. Wicelius docuit, interiore consensus sufficere; quia, ut ipse ajebat, Deus, qui cor intuetur, potest interiorem huiusmodi consensum approbare. At Ecclesia hunc errorem damnavit; sequeretur enim contrahi potest matrimonium inter personas longe distitas, quae mutuum alterius consensum invicem ignorarent, incerta proinde & confusa essent matrimonia, unde gravia Ecclesiae & reipublicae incommoda promanarent. Deus profecto cor intuetur, sed in exteriori hominum consensum potest approbare; sed illum in contrahendo matrimonio non approbat; nullum enim inter homines esse verum matrimonium, quod non humano more contrahatur, id est manifesto expressoque consensu, quae exterioribus sane signis declaretur oportet.

Rebecca parentes cum ipsam Isaaco promississent uxorem, dixerunt: *Vocemus puellam, & quaeramus ejus voluntatem* (Genes. 24.). In Numerorum libro de filiabus Salphaad dicitur: *Nubant, quibus volunt, tantum ut suae Tribus hominibus* (cap. ult.). Apostolus Paulus de

vidua loquens ait: *Cui vult nubat* (1. Cor. 7.). Ex hisce textibus evincitur, mulierum consensum ad earum matrimonium omnino requiri; multo igitur magis ad hominum matrimonium pariter eorum consensus est necessarius; siquidem virilis sexus major quam muliebris nobilitas est & libertas. Gratianus hæc Nicolai Papæ verba refert ad Bulgarorum consulta: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*: ex quibus deinde sic concludit: *Cum ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus matrimonium facit, patet hos conjuges fuisse* (27. qu. 2.). Responsi sui rationem alibi reddit idem Pontifex inquiring: *Quod enim quis non eligit, nec optat, profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit* (cap. Præsens 20. qu. 3.). Porro oportet ut in matrimonio se mutuo conjuges diligant colantque, cum matrimonium sit indissolubile; hoc vero evenire vix potest, si vir uxorque inviti uniantur, ideoque tunc matrimonium grave sit onus & intolerandum, & necessaria liberorum educatio negligitur. Quomodo vero conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ omnino voluntaria est, figura esset matrimonium, si mutuus non adesset conjugum consensus?

Eugenius Papa declarat, efficientem matrimonii causam esse regulariter mutuum consensum, qui per verba de præsentis exprimitur: additur autem in hoc Decreto vox *regulariter*, ut

Codeau Theol. Mor. Pars II, L 1 com-

comprehendatur etiam consensus absque verbis præstitus, sed exteriori aliquo signo, imo ipsi interdum silentio; exempli gratia, si interrogata a Sacerdote puella, an Cajum in maritum velit accipere, ipsa pudore impedita fileat.

Verum si alter contrahentium tempore eodem, quo consensum suum verbis declarat, interius non consentiret, atque ita adstantes falleret, profecto nullum coram Deo esset matrimonium; quamvis Ecclesia, quæ de internis non judicat, hujusmodi matrimonium in foro exteriori posset confirmare (*Magister dist. 28. ult. Hugo lib. 2. de Sacram. part. 11. Etiam lib. 4. in dist. 21.*).

Non est tamen necesse, ut hic consensus expresse & formaliter carnalem conjunctionem intendat, siquidem, ut probavimus, absque hujusmodi conjunctione potest matrimonium constare; sed sufficit, imo requiritur, ut consensus conjugalem vitæ societatem intendat, quæ mutuam unius in alterius corpus potestatem comprehendit.

Neque necesse est, ut conjuges ambo eodem tempore suum consensum declarent; sed sufficit si uterque actualiter consentiat, quamvis non eodem tempore, dummodo ab altero præstitus consensus saltem virtualiter adhuc duret, cum alter contrahens suum pariter consensum præbet quemadmodum in Regum matrimoniis usuve quæ per procuratores passim fiunt.

Juxta Tridentinum Concilium parentum consensus non requiritur; ut filiorum matrimonium sit validum (*Sess. 24. cap. 20.*). Idem docet sanctus Ambrosius inquit: *Consulitur puella non de sponsalibus. Illa enim judicium expediat parentum. Non est enim virginalis pudoris eligere maritum; sed jam desponsata viro de professionis consulitur die (de Virgin.).* Eadem est sancti Thomæ doctrina, qui ait: *Secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares; puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & proli generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda (2. 2. qu. 104. art. 5.).* In Gallia vero matrimonium ante vigesimumquintum ætatis annum initum a Magistratibus superioribus nullum declaratur; etenim juxta leges & consuetudines Regni vetitum est, absque parentum consensu ante vigesimumquintum ætatis annum matrimonium contrahere: quod quidem valde est rationi consonum. Nam filii, qui ante hujusmodi ætatem parum judicio pollent, a suis illecti cupiditatibus facile possunt ea contrahere matrimonia, quæ & familiæ nobilitate sint indigna, & proprio ipsorum commodo noxia. Honor & reverentia, quam parentibus suis filii debent, ab ipsis exigit ut parentes suos in re tam gravi consulant: parentum quoque interest ad familiæ pacem servandam, ut ipsi nurus & generos eligant. Veteris Testamenti Patriarchas eorum

patribus annuentibus uxores duxisse scimus; voluitque Deus, ut proprium parentum esset officium uxores filiis tradere. Dixit Isaac ad Jacob filium suum: *Noli accipere conjugem de gente Chanaan: sed vade ad domum Bathuel, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui (Genes. 28.).* At Esau duxit uxores Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon ejusdem loci; quæ ambæ offenderant nomen Isaac, & Rebecca (Ibid. 26.). Dixitque Rebecca ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth (Ibid. 27.).* Ecclesiasticus patrem sic alloquitur: *Trade filiam, & gratum opus feceris; homini sensato da illam (cap. 7.).* De patrum autem in filias potestate Apostolus Paulus sic loquitur: *Si quis autem turpe se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult facere non peccat, si nubat (1. Cor. 7.).* Sanctus Basilius nuptias invitis parentibus factas appellat fornicationes (ad Amphil.). Sanctus Ambrosius ait: *Consultitur puella, non de sponsalibus: illa enim iudicium expectat parentum. Non enim virginalis pudoris eligere maritum (de Virgine.).*

Toletanum III. Concilium vetat, ne uxor puella invitis parentibus nubat (cap. 10.). Tridentinum vero Concilium ait: *Matrimonia filii familias sine consensu parentum contracta sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper incestata est, atque prohibuit (Sess. 24. c. 1.).*

Itaque filii familias cavere debent, ne in-
vis parentibus matrimonia contrahant, non so-
lum quia irrita hæc esse declarabuntur, ipsique
propterea exhæredari merentur; verum etiam
quia sic contrahentes parentibus injuriam irro-
gant, grave aliis scandalum præbent, & familiæ
suz pacem turbant.

Animadvertendum tamen est, matrimonia
sine parentum consensu contracta Concilium ir-
rita non declarasse, quemadmodum nulla fore
jussit matrimonia clandestina; contingere enim
potest, ut plus prudentia valeat filius quam pa-
ter, adeoque ad sibi uxorem eligendam ipse sit
aptior: fieri quoque potest, ut parentes sint
hæretici, filiosque suos velint cum hæreticis ini-
re matrimonia; vel ut nimis sint avari, nec
puellis congruam dotem assignent, nec liberis
pro generis convenientia tribuant; vel tandem
ut filiorum aliquem præ reliquis diligant, quos
ideo a contrahendo matrimonio impediunt. In
omnibus hisce casibus non prohibet Ecclesia, ne
filii matrimonium contrahant, etiamsi parentes
consentire recusent, postquam eorum consensum
filii reverenter petierunt. Porro Galliæ leges &
consuetudines legi seu permissioni Ecclesiæ non
sunt contrariæ; sed illam solummodo limitant
prohibendo videlicet, ne filii ante vigintiquin-
que ætatis annos sine positivo & expresse paren-
tum consensu matrimonia contrahant, ita ut
hujusmodi matrimonia sint invalida. Verum
ubi ad ætatem istam adolescentes pervenerint,
ipsis permittit etiam sine parentum consensu ma-

rimonia, dummodo eosdem de propria debitatione certiores faciant, ut debitus parentibus seruetur honor, & ne ipsi hereditate priventur.

Debent igitur parentes filiorum suorum matrimonii mature consulere, ne filii vitiis se tradant, vel puellæ illegitimis amoribus indulgeant. Non tenentur sane ipsi suis se bonis spoliare, & filii matrimonium contrahant; debent tamen honestas expensas imminuere, & parce vivere, illis consulant, in quibus se sperant etiam profutura victuros.

CAPUT II.

De variis dispositionibus ad matrimonium bene inchoandum, tum bene continuandum conducentibus.

Exposita matrimonii natura, iisque omnibus quæ ad illud & licite & valide contrahendum requiruntur, breviter declaratis, superius ut, cum aliunde de matrimoniis Christianorum nobis præcipuus sermo sit, regulæ quædam salutares afferantur, quarum adminiculo conjugalis pie & meritorie inchoetur, ac breviter etiam a quolibet fidei continuetur; in finem isto capite dispositiones quædam salutares ad optime auspicianda connubia proponuntur: dispositiones allatas sequentur monita nulla utilissima, quibus, quomodo in matrimonio vivendum sit, clare docetur.

Sanctæ dispositiones, quibus junior Tobias ad contrahendum matrimonium accessit, me hortantur, ut de illis verba faciam, quas matrimonio ineundo præmittere debent Christiani. Utilis omnino ac necessaria est ista dispositio nostro potissimum ævo, quando fidelium plerique aut ex cupiditate, aut ex avaritia, aut ex vanitate matrimonio copulantur, quin Sacramenti hujusce dignitatem ullo modo considerent.

Primo igitur qui nupturi sunt, Deum enixe orent, & consulant, ut ejus voluntatem in tam gravi negotio cognoscant. Etenim cum matrimonium sit indissolubile, totaque vita in eo sit transigenda, sancte in eo vivat oportet, qui matrimonio junctus est, ut æternam vitam consequatur. Porro hæc extra vocationem suam vix obtineri potest; ideoque etiam ad matrimonium recte ineundum Dei vocatio requiritur, ejusque gratia, ut sancte in matrimonio vivatur; suam autem gratiam iis tantum Deus concedit, quos ad talem statum vocavit. Sane ad matrimonium vocatio non adeo est necessaria, quam vocatio ad Sacerdotium; attamen ad matrimonium quoque vocatio requiritur, quæ dupliciter potest cognosci, videlicet vel a Deo in oratione, vel a prudente, pio, doctoque homine; qui matrimonium suadeat. Ut vero recte & utiliter ista Deo fiat oratio, debent nupturi sepositum aliquem locum deligere, ubi a curis aliis soluti huic unice negotio vacent, Deique lumen opemque implorent. A sæculi strepitu expedit recedere, ut Dei vox facilius audiatur, quemadmodum nos

ille admonet per Prophetam: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus* (Osee 2.) In veteri lege ex arca fœderis sua Deus dabat sponsa; reposita autem erat arca in interiori templi parte a duabus aliis separata, quo solus intrabat semel in anno summus Sacerdos: hinc discant Christiani Deum in solitudine loqui, non in strepitu & tumultu. In hac autem solitudine vacuum sit cor hominis, & ad Dei accipiendum lumen plane paratum; nam qui Deum ita consulit, ut proprium velit impleri propositum, hic fide Deum colit, nec divinum vere expectat responsum. Dicendum est cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*; & responsio non extorquenda, sed expectanda. Oportet igitur simplicem Deo offerre voluntatem ad utrumlibet paratam, quotiescumque de contrahendo matrimonio est deliberandum.

Verum quia facile falli possumus, & divina vocis amoris proprii vocem sequi, oportet ut pius, doctus, & prudens vir in hoc negotio consulatur. Pius, ut nobis per ejus Deus loquatur; doctus, ut consulentis indolentem necessitatem, & utilitatem cognoscat; prudens ut tempus aliasque circumstantias consideret, quae ad utile præbendum consilium magis sunt opportuna.

Altera dispositio est honestas finis, ob quam matrimonium eligitur; in hoc enim sapius precavetur. siquidem plerumque matrimonium contrahitur, vel ut pinguis dos accipiatur, vel ut cum potentibus familiis conjunctio fiat; vel ut

propria cupiditas expleatur. Si avaritia matrimonium consulit, quis ex tam mala radice fructus utilis prodibit, cum avaritiam malorum omnium radicem appellet Apostolus? Hanc veritatem optime noverunt Ethnici, qui locupletem uxorem ingens malum vocarunt.

Si ex vanitate matrimonium initur, mundanum est matrimonium, tamquam ex spiritu mundi profectum, qui spiritus cum inconstans sit & quietis impatiens, non est mirandum, si ab hujusmodi matrimoniis pax & concordia abest.

Sed omnium pessimus finis est, qui propriae servit concupiscentiae: *si enim, inquit sanctus Augustinus iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum; quanto est iniquius libidine concumbendi subvertere limites morum?* Junior Tobias, ut diximus, Deum alloquens ait, se non luxuriae causa uxorem accipere, propterea mortem vitavit, qua alii Saræ mariti fuere a demone sublati. Conjugalis castitas, quam christiani conjuges servare debent, propria est hujusce Sacramenti gratia; sed illa se reddunt indignos, qui tamquam belluæ nubunt, & idcirco omnimodæ intemperantiæ in matrimonii usu habenas laxant.

Tertia dispositio est, ut vir proprium corpus castum uxori suæ tradat, non fœdatum aut corruptum; inter uxorem enim & maritum mutua justitia statui debet, & quemadmodum vir corruptam nollet ducere, sic incorruptam virum mulier jure exigit. Matrimonium est animorum corporumque societas; & sicut maritus ab alterius

rius fœminæ amore liberum animum debet
 ri tradere, ita & corpus nulla luxuriæ contem-
 ne pollutum. Quamobrem Casuistarum quorundam
 detestanda est opinio, qui tactus quoslibet
 inter sponfos permittunt, dummodo probabile
 absit pollutionis periculum, dicentes tactus
 oscula futuræ carnalis conjunctionis signa esse
 cui ratione matrimonii consentire jure aliter
 possunt. *Quales* (inquit sanctus Augustinus
de verb. Domini serm. 46.), *eas vultis ad se*
venire, tales & vos debent ipsæ invenire. Quis
 juvenis est, qui non castam velit ducere uxorem?
 Et si accepturus est virginem, quis non intactam
 desideret? *Intactam quæris, intactus esto.* Vir-
 ram quæris, noli esse impurus. *Non enim*
potest, & tu non potes. Si fieri non possit, ut
 illa possit. *Quia vero illa potest, doceat te, ut*
fieri potest. Et illa ut possit, *Deus regit,*
tu gloriosior eris, si feceris. Quare gloriosior
 Illam premit parentum custodia, refrœnat in-
 mioris sexus ipsa verecundia. Postremo legem
 met, *quas tu non times.* Ideo ergo gloriosior
 eris si feceris, quia tu, si feceris, Deum timeas.

Quarta dispositio est casta inter sponfos con-
 versatio: & ut quodlibet vitetur periculum, non
 diu post sponsalia differendum est matrimonium
 ægerrime enim in diuturna inter sponfos con-
 versatione fieri potest, ut ab inhonesto quolibet
 actu ipsi se contineant.

Quinta dispositio est gratiæ status, in quo
 hoc Sacramentum est suscipiendum. Propter
 Ritualia omnia præcipiunt, ut matrimonio

pulandi ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramen-
 ta prius accedant, non tamen postrema ante ma-
 trimonii celebrationem dies est expectanda, quia
 forsan sponzorū alteruter non erit absolutionis
 capax, quæ ad plures dies erit differenda. Ma-
 trimonii enim celebrandi necessitas non est suffi-
 ciens ratio, ut Confessarius indignum absolvat,
 atque ita Sacramenti Pœnitentiæ sanctitatem
 violer.

Sexta dispositio est, ut omnes in matrimonii
 celebratione vanitatis & luxu vitentur excessus.
 En sancti Augustini verba: *Absit triumphus
 ethnicorum, absit saltatio, absit impudicitia ver-
 borum, & propitio Deo honeste nascentur sobo-
 les Christianorum. Saltationes enim mundi sunt
 commercia dæmoniorum. In commercio quid fa-
 cit negotiator? dat, & accipit. Videamus er-
 go quid in tali commercio diabolus & det & ac-
 cipiat. Ipse namque spargit dulcedines luxuria-
 rum, ut servitutem innocentium sibi comparet
 animorum. Sed volo ut dicas, & si alii salta-
 verint, tamen ego, qui sum vocatus ad convi-
 vium, modestius me habui, & cum disciplina ex-
 ercui. Quid interest ut lingua taceat, cum per
 aures quoad animam via est, qua impudicitia
 descendat? Redit matrona malis vocibus stimu-
 lata, redit virgo inquinatis auribus, non virgo
 integra, nec mulier maritata, redit turba adole-
 scentium nec dum mulieribus conjuncta, conscien-
 tia lacerata. Tot itaque & talibus conviviis in-
 teresse, fratres, non debetis, ubi est diaboli pom-
 pa, cui jam per Sacramentum Baptismi renun-
 cia-*

ciastis. Sed fortasse aliquis dicet, antiqua
est consuetudo. Quid tu nescis antiquitatem
errorum omnium matrem? Quid enim si
quis sacrificiis coluere figmenta, modo Chris-
torum nova lex nonne gaudet damnasse immu-
simas eorum cæremonias? Sed ego antequam
ista idola frangerentur, antiquos & probos
ros ostendam, qui fuerint disciplinae Dei sub-
quibus & qualibus nuptiis assueverunt jungi.
psit Abrahæ Sara de regione Chaldaea; ac-
Isaac Rebecca filiam Bathuelis de Sina: ac-
Jacob filias Laban de Mesopotamia; ac-
Moyse Sephoram de regione Madiana; ac-
filius Tobiae hortante Angelo alteram Sara
filiam Raguelis de regione Medorum. Ecco
nuptiæ antiquorum, & ut verius dicam, anti-
rum Dei, in quibus nullus invenitur saltim
nec organum palpare, nec cytharam percutere,
nec tibias inflare.

Confessarii itaque, & præcipue Pader-
bos quos sacra vocatio ad curam animarum feru-
ac fructuose obeundam adstrinxit, operam
vent sedulam; ut illis, qui ad Nuptiales Tu-
lamos aspirant, hujusmodi salubres, ac Chris-
no conjuge summopere dignas dispositiones
trimonio præmittendas persuadeant: sic enim
fideles ad exemplum junioris Tobiae in statu
jugali benedictionem divinam de rore cæli
de pinguedine terræ largiter adipiscuntur. Qui
vero non ille, qui bene cæperit, sed qui per-
veraverit, coronandus sit, satagant insuper
flores animorum religiosa quædam monita

illis inculcare, ut, qui pie incæperunt vitam conjugatam, non minori eam pietate prosequantur: saltem ea, quæ modo sequuntur, mature perpendant, & id genus hominibus facienda proponant.

Fidelium matrimonium non est naturalis tantum & civilis societas, ut diximus; sed & christiana societas, & imago rei sanctissimæ, conjunctionis videlicet Christi cum Ecclesia. Hæc liberorum generationi dat operam, non modo ut homines gignant, sed ut geniti filii per Baptismum regenerati Christi membra fiant. Quare christiani conjuges non honeste solum & prudenter, verum etiam pie & sancte vivere debent.

Fidem & amorem maritus & uxor sibi invicem debent; sed christiana fides sit æque ac amor oportet. *Absit, inquit sanctus Augustinus, eum pudicum dici, qui non propter Deum fidem servat uxori.* Christianus quoque sit conjugum amor, nec ex sola amoris suavitate, aut ex civilis legis debito oriatur; altius ascendat oportet, omnique sensualitate & concupiscentia remota, Christi erga Ecclesiam amorem imitetur. Expresse enim inquit sanctus Paulus: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam (Ephes. 5.)*: hic vero amor purissimus est & sanctissimus. Conjugalis amor, qui a natura solum promanat, nec gratus semper est, neque constans; illosque sæpe conspiciamus, qui amore duce nupserunt, cito sibi invicem displicere, pristinumque amorem cito in odium verti.

Verum-

Verumtamen fidei exemplum vir præbet uxori. *Reddite* (inquit sanctus Augustinus *verb. Domini serm. 46.*), quod exigitis. *Uxoria a femina exigis castitatem, præbe illi exemplum non verbum. Tu es caput, qua is vide.* Hæc enim debes ire, qua illi non sit periculosum sequi; imo tu ipse qua vis eam sequi, illuc debes ambulare. *Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem carnis concupiscentiam ambo habetis; qui fortior est prior vincat. Et tamen quod dolendum est multi viri a feminis vincuntur: servant feminæ castitatem, quam viri servare nolunt, & in quod non servant, se viros videri volunt; quæ propterea sit fortior sexus, ut eum facilius superjuget inimicus. Lucta est, prælium est, pugna est. Vir fortior femina, vir caput est femina. Femina pugnat & vincit, tu hosti succumbis. Stat corpus, & caput jacet.*

Uxoris curam & sollicitudinem gerat maritus, illam regat, ipsi obsequatur; uxoris suæ dem caput est vir.

Curare debet maritus, ut uxori juxta conditionem suam ad vitam honeste traducendam necessaria tribuat; sed hæc cura non ad vanitatem usque sive supellectilium, sive vestium progressu oportet. Etenim si pretiosas vestes, auro gemis que ornatas, christianis feminis Apostolus Paulus prohibet, non debent mariti hæc vanitatis instrumenta eisdem suppeditare, sed christianæ modestiæ ipsas admonere.

Uxoris item mores, vivendique formam præcipere debet maritus. Quare ipsius actiones præ-

ritus consideret, videatque an pie ipsa vivat, an sit in pauperes misericors, an familiam prudenter regat; utrum honestis ludis indulgeat, utrum iram, & ambitionem fugiat, uno verbo an Deo vere serviat.

Denique uxori obsequatur maritus juxta Apostoli Petri monitum, qui ait: *Viri similiter inhabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ (1. Petri 3.).* Alter alterius debent Christiani portare onera, id est sibi invicem donare injurias, (ut inquit sanctus Paulus *Galat. 6.*). At maritus in uxoris suæ tolerandis defectibus adhuc promptior esse debet, quia proximior ipsa est & infirmior, & christiana caritas jubet, ut fortes infirmos ferant. Propterea non debet vir ob singulos uxoris suæ defectus commoveri, si ipsa indignatur, si queritur, si irascitur, aut errat. Sæpius aures oculosve suos vir claudat oportet, ut pacem servet, ne frustra rixetur; juges secus querelæ aderunt, & rixæ, & conjugalis ipsa amara erit societas: quod cavendum esse monet Apostolus inquit: *Nolite amari esse ad illas (Coloss. 3.).*

Uxor vero præter amorem & fidem debet viro suo reverentiam, obedientiam, & obsequium. Apostolus Paulus sic inquit: *Verumtamen & vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligit; uxor autem timeat virum suum (Ephes. 5.).* Non aliud hic uxori præcipit Apostolus, quam ut virum suum amet & vereatur, non enim ipsa tamquam dominum debet

debet timere, sed tamquam caput, quo regit
 virum suum colere debet, & eidem tamquam
 Christi imagini honorem tribuere. Viro enim
 obediat uxor non invita, sed ex amore magis
 quam ex timore: quod si eidem non obediat
 noverit se non imitari Ecclesiam, quæ non con-
 tæ, sed libere & libenter Christo obtemperat.
 Propterea inquit sanctus Augustinus: *Quis
 sciat obedientem mulierem inobedienti virgini
 ponendam (De Virgin. cap. 44.)?* Et Apo-
 stolus Paulus uxores sic admonet: *Mulier
 dicitæ estote viris sicut oportet in Domino
 Ios. 3.)*. Non sufficit ergo ut quomodocumque
 viro suo mulier obediat, sed ei tamquam Domini
 no obediat oportet; idest ut viro suo pareat
 quam Dei vicario, & ut Deo obsequatur, & non
 ipsam viro subdidit. At mariti iussa mollia
 debent & iusta, seu verius inter virum & Deum
 rem partiri debet imperium, ita tamen ut
 tior uxoris pars sit obedientia. Saræ exemplum
 Christianis fæminis proponit Apostolus Petrus
 inquit: *Subiectæ propriis viris, sicut
 obediebat Abrahæ, dominum eum vocans
 Petri 3.)*. Caveat igitur mulier, ne quomodo
 virum suum verbis contemnat; etenim & Deus
 offenderet, & virum ad iracundiam provocaret.
 Denique debet mulier viro suo obsequi; & non
 tamen eidem sic blandiri, ut peccanti adulescenti
 aut ei ad peccandum opem ferat: constantem
 quidem debet uxor viro contradicere, & audenter
 resistere, si quando Dei legi contraria vir
 cipiatur, aut a vero animarum sponse Christo
 amando illam avocet.

CAPUT III.

De licito, ac vero usu matrimonii, seu de actu conjugali, ejusque honestate.

Matrimonio vere, ac licite utuntur, qui actum conjugalem eo, quo decet, modo peragunt: neque enim omnia, aut quovis modo agere conjugatis, praesertim Christianis licitum est. Conjugalis actus inter christianos conjuges bonus est & honestus, si ex fine illo fiat, propter quem praecipue matrimonium est institutum. Porro hic finis juxta sanctum Augustinum reliquosque Patres est liberorum procreatio, qui per Baptismum sunt regenerandi. Concupiscentiam carnis (inquit ille de Nuptiis & Concup. lib. I.), qua caro concupiscit adversus spiritum, in usum justitiae convertunt fidelium nuptiae. Habent quippe intentionem generandi regenerandos, ut, qui ex eis saeculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur. Proinde nuptiae, quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia vero sine illo fieri non potest, erubescunt.

Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus; nisi quod conjuges dum se non continent, debitum alterutro carnis exposcunt, non voluntate protervinitatis, sed libidinis voluptate? Quae tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiae, quia & il-

Codeax Theol. Mor. Pars II. M m lud,

Iud, quod non pertinet ad se, ignosci facit propter se.

Neque solus est sanctus Augustinus, qui doceat conjugalem actum ob solam voluptatem exercitum veniale esse peccatum, sicut in omnibus suis Libris constanter asserit; sed reliqui etiam Patres illa Apostoli verba explicantes. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium (1. Cor. 7.)*, idem sentiunt, quemadmodum sanctus Joannes Chrysostomus homilia 22. super Genesim, sanctus Hieronymus libro primo contra Jovinianum, sanctus Gregorius Magnus libro 32. *Moralium in Job.* & in responso ad decimam Augustini Anglorum Episcopi interrogationem, & in tertia parte *Pastoralis*; denique Lactantius libro quinto *de Vinarum Institutionum*.

Veteres Scholastici, nempe Magister Sententiarum, sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Richardus, plerique insuper alii magnae auctoritatis viri antiquos Patres sunt secuti; & tunc profecto est horum Doctorum sententiam sequi quam novorum quorundam Scriptorum opinionem, qui conjugii opus ob solam voluptatem exercitum qualibet vacare culpa asserunt. Antiquorum doctrina in hoc fundatur, quod sanctum est Christianorum matrimonium; & de illo loquitur sanctus Paulus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia* vel juxta Græcum textum: *in Christum & in Ecclesiam: eis Christus, et eis tunc ecclesia* (*Ephes. 5.*). Unde infertur hoc Sacramentum

Imaginem esse conjunctionis Jesu Christi & Ecclesiae. Porro diviniusne aliquid aut Sanctius ista conjunctione potest excogitari? Quamobrem nonne maxime nitendum est, ut turpes quilibet carnales motus a matrimonio arceantur, quod ejusdem conjunctionis est figura? ipsumque Sacramenti nomen nonne pudicum magis ac sanctum Christianorum matrimonium declarat, quam Ethnicorum? Hinc detestandæ sunt absonæ novorum quorundam Casuistarum opiniones, qui inter conjuges libidini habenas laxant, eaque illis permittunt, quæ sic referre pudor vetat, & quæ Ethnici ipsi damnarent.

In conjugalis actus exercitio non solum venialis culpa committi potest, si ob solam voluptatem id fiat, ut hætenus probatum est; verum etiam mortale peccatum multipliciter potest committi.

Primo si iste actus cum ea frequentia exerceretur, ut neque vir, neque uxor orationi vacare possit. Hoc monet sanctus Petrus inquiens: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, ut non impediatur orationes vestrae (1. Petr. 3.).* Et sanctus Paulus expresse ait: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, & non secundum imperium (1. Cor. 7.).* Porro conjugalem actum, ut ait sanctus Augustinus, concedit Apostolus, qui fit non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi.

quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant; si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent, tempora orandi. Hoc tamen non exigere, sed reddere conjugii, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem (*De bono conjug. c. 10.*).

Secundo, quando maritus ita intemperanter uxore sua utitur, ut nullis limitibus se contineat, aut cum alia libidinem suam explere cupiat, aut si cum uxore coire sit paratus, etiam si sua non esset uxor; denique quando conjugii opus tamquam bellua peragit. Quamobrem ait sanctus Augustinus, intemperantem maritum esse quodammodo suæ uxoris adulterum. Et sanctus Hieronymus contra Jovinianum scribens inquit: Nihil foedius, quam uxorem amare quasi adulteram (*Lib. I. cap. ult.*).

Tertio mortale peccatum committit maritus, qui cum uxore gravida concumbit, quando est abortus periculum. Idem sanctus Hieronymus de hujusmodi maritis loquens ait: *Imittuntur saltem pecudes, & postquam uxorum ventris intumuerit, non perdant filios (cap. 15.)*. Ecclesia viros penitentia mulctabat, qui in hanc culpam incidissent.

Quarto juxta celebres plerosque Doctores mortale peccatum est cum uxore coire, quando ipsa fluxum menstruum patitur. Expresse hoc Deus prohibuit in Levitico: *Si coierit cum ea vir in tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus, & omne stratum in quo dormierit, polluetur (cap. 18.)*. Et iterum: *Ad*

mulierem, quæ patitur menstrua, non accede
 (ibid.). Denique: Qui coierit cum muliere
 in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem
 ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, in-
 terficientur ambo de medio populi tui (cap. 40.).

Sanctus Augustinus ad illa Ezechielis verba:
Vir si fuerit justus, & ad mulierem menstrua-
tam non accesserit (cap. 18.): ait: Hoc Eze-
chiel inter illa præcepta ponit, quæ non figurate
accipienda sunt (lib. 3. de peccat. cap. 12.).
 Ratio hujusce prohibitionis ea est, quia pueri,
 qui sic concipiuntur, lepra aut gravi alio postea
 morbo plerumque laborant. Scholastici, nem-
 pe sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Ale-
 xander Halensis, Richardus, Scotus, Sylvester,
 Petrus Soto, atque Estius hanc sententiam do-
 cent. Attamen sanctus Bonaventura & Sylvester
 addunt, debitum conjugale reddentem peccare
 tantum venialiter; & quamvis veteris legis pec-
 na in lege nova cessarit; tamen præceptum ad-
 huc vigere, tum propter honestatem, tum pro-
 pter infirmitates, quibus sic geniti infantes sunt
 obnoxii.

Quinto immodico conjugalis actus usu mor-
 taliter ille peccat, qui hoc pacto suæ, vel con-
 jugis sanitati notabiliter nocet. Apostolus illos,
 qui matrimonio juncti sunt, sic admonet: *Ut*
sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in
sanctificatione, non in passione desiderii, sicut
gentes quæ ignorant Deum (1. Thess. 4.). Hæc
 verba satis declarant, debere matrimonio jun-
 ctos in ejusdem usu a turpi qualibet actione ab-

horrere; ut ipsorum sit juxta eundem Apolos
 lum: *Honorabile connubium in omnibus, et
 thorus immaculatus (Hebr. 13.)*. Saræ junio-
 ris Tobiae uxoris mariti, quos dæmon suffocari
 clare demonstrant, nihil ita Deo esse exofum
 quam in matrimonio intemperantiam; etenim
 uno ore docent sancti Patres, ideo maritos hu-
 ce morte punitos, quia propterea solum duc-
 runt uxorem, ut suæ indulgerent cupiditati.
 Quare junior Tobias ante matrimonii confirma-
 tionem tribus diebus tribusque noctibus Deum
 oravit, uxoremque suam sic est allocutus: *Fi-
 lii Sandtorum sumus; Et non possumus ita conjugari
 sicut gentes quæ ignorant Deum. Deumque oramus
 sic ait: Et nunc Domine scis, quia non luxuria
 causa accipio sororem meam conjugem, sed
 posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen
 tuum in sæcula sæculorum (Tob. 8.)*.

Actum denique conjugalem licite non possunt
 sunt exercere, qui impedimento quodam cer-
 vel dirimente, vel impediante laborant; quibus
 etiam illicitus evadit congressus maritalis, quan-
 do ex parte unius, vel utriusque conjugum
 valore celebrati matrimonii dubium prudens
 oritur: sic enim se manifesto peccandi periculo
 exponerent; ita decernunt Romani Pontifices
 Lucius III. in cap. *Dominus*: de secundis nuptiis,
 & Innocentius III. in cap. *Inquisitione*
 de Sent. Excommunic. ita pariter asserit Doctor
 Angelicus in 4. dist. 38. loquens de impedimento
 to ligaminis. Proinde qui dubitat, a petendo
 bito desistat, donec veritatem plenam assequatur.

consulat autem hac super re conscientiae suae arbitrum.

Doctrina hæc multo magis locum habet, si conjuges ante contractum matrimonium gravi dubio circa valorem angebantur: tunc enim opus conjugale omnino foret interdictum, ita, ut neutra pars debitum reddere, vel petere posset: quia possessio, quæ cum mala fide incipit, in dubio de possessioe nullum jus tribuit. Si autem una pars tantum ex contrahentibus hujusmodi dubio detineatur, nec diligentiam adhibuit, ut illud purgaret, nec parti alteri quidpiam manifestavit, utatur privilegio bimestri, quousque dubium elucidetur; elapso illo tempore, licet petere non possit stante dubio, reddere debitum tenetur: nec enim poterit partem infontem jure suo privare (a).

(a) Circa honestatem actus conjugalis notandæ veniunt sequentes propositiones damnatæ, ex quibus prima est. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* 2da. *copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* 3tia. *non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Primas duas Innocentius XI. 2. Martii 1679. confixit. Ultimam Alexander VII. 24. Sept. 1665. damnavit. Circa hanc materiam consulatur P. Cuniliati O. P. Tract. 14. c. 7. §. 12. de Sacramentis in Par-siculari.



SECTIO III.

DE

IMPEDIMENTIS MATRIMONII

CAPUT I.

*De impedimentis matrimonii in genere
& de impedimento erroris & voti in specie*

Sacramentis omnibus commune est, ut aliquando accedente quandoque causa, aut nulla sint, aut suo careant effectu; quando videlicet aliquid deest vel ad illorum substantiam, vel ad debitorum eorum celebrationem pertinens, vel quando necessarias non habent dispositiones ad Sacramenti gratiam accipiendam. Matrimonium tamen plura præ cæteris habet impedimenta; primo quia matrimonium non solum est Sacramentum, sed etiam civilis Contractus; contractus autem pluribus modis aut natura sua vel lege possunt infirmari: secundo quia matrimonium carnali copula consummatur, quæ multipliciter potest impediri.

Hæc impedimenta partim a naturali lege, partim ab ecclesiastica promanant. Primi generis sunt error, impotentia, vis, consanguinitas in primo gradu, & alia hujusmodi. Alterius generis sunt tempus vetitum, Ordo sacer, consanguinitas in remotiori gradu, affinitas, clandestinitas, votum, crimen, ligamen, & honestas.

Certum est potuisse Ecclesiam nova matrimonii impedimenta statuere; sicut revera Tridentinum Concilium (*Seff. 24.*) clandestina matrimonia nulla esse iussit, sic contrahentes inhabiles ad contrahendum declarans; anathemate quoque illos percellit, qui dixerint non posse Ecclesiam nova impedimenta statuere. Ratione id nititur, quæ exigit, ut Ecclesiarum Rectores, nempe Episcopi possint eas leges condere, quæ ad bonum regimen pertinent. Quamobrem in veteri lege Moyse Judæis vetuit, ne Chanaan filias ducerent: *Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia: filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo:* sic in Deuteronomio (*cap. 7.*) loquitur, aliaque ibidem impedimenta decernit. In Levitico (*cap. 18.*) consanguinitatis gradus enumerat, in quibus vetitum est matrimonia inire.

Principes quoque sæculares subditorum suorum matrimoniis impedimenta addere possunt, ut reipublicæ bono serviant, cui debent consu- lere. Hinc in Gallia lege cautum est, ne Prin- cipes e regio sanguine orti sine Regis consensu uxores ducant; etenim si hujusmodi Principibus liceret ex quacumque familia uxores sibi pro li- bito eligere, evenire facile posset, ut amore, ambitione, vel ira abducti fœdera inirent rei- publicæ bono nociva, & regni hæredes gignæ- rent regno indignos (a).

Quæ-

(a) Doctor Angelicus celebrem illam hac ætate controversiam, utrum Principi sæculari liceat impedimenta matrimonii statuere, paucis ita de-

Quædam impedimenta matrimonia fieri volunt, sed facta non retractant; quædam autem & fieri matrimonia prohibent, & jam facta nulla esse decernunt. Primi generis illa sunt, quæ ad matrimonii substantiam non pertinent, nec contrahentes ad contrahendum inhabiles reddunt, sed quæ tantum ex Ecclesiæ præcepto matrimonii celebrationem impediunt. Quæ vero matrimonium nullum reddunt, hæc sunt videlicet error, conditio, votum, consanguinitas, crimen, ætus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas, furor, affinitas, clandestinitas, & impotentia.

Error debet esse circa personam, non circa ejusdem qualitatem (a). Si exempli gratia

cidit: Matrimonium, in quantum est in officio naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officio civitatis, statuitur jure civili: in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino: & ideo a qualibet diſtarum legum (naturalis scilicet, humanae & divinæ) potest persona effici ad matrimonium illegitima. Et vero matrimonium, si civilis contractus est, & sub hac ratione in officium civitatis vergit, totius reipublicæ fundamentum esse videtur: illius proinde erit ipsius ad bonum totius civitatis ordinare, & cura civitatis est commissa. Præterea hæc non esse putanda est potestas Principum Christianorum circa matrimonii contractum, ac fuerit olim potestas Regum Hebræorum, & nunc est Principum infidelium in eundem contractum. Vid. P. Gervasio lib. V. de Sacram. matrimonio cap. 7. pag. 897. Edit. Viennensis 1766.

(a) Supponit hic Auctor errorem circa qualitatem tantum accidentalem; quæ cum non sit circa

Claudinus Catharinam ducat, putans se Mariam ducere, nullum est matrimonium; si vero Mariam ducat pauperem & deformem, putans se divitem pulchramque uxorem ducere, hic error matrimonium non reddit invalidum. Jacob Liam duxit putans hanc esse Rachelem: mane se deceptum cognovit, postquam matrimonium jam consummaverat; sed novo consensu validum illud reddidit. Prima nocte cum Lia concumbens materialem fornicationem commisit, non formalem; nec peccavit, quia ignorans fecit, putans se cum Rachele concumbere, quam ducere voluit uxorem. Sanctus Augustinus (*Lib. 22. contra Faust. cap. 52.*) historiam hanc explicat allegorice.

Matrimonium non consummatum per alterius conjugum in Religionem ingressum solvitur. Tridentinum Concilium sic definiit in-
quiens: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

stantiam contractus, matrimonium non dirimit; si autem qualitati accidentali alligetur intentio contrahentis, tunc ejus defectus vel redundat in ipsam personam, quæ eligitur, vel certe tollit consensum illius, qui nonnisi sub tali qualitate contractum inire intendit: unde error in hoc casu, licet circa qualitatem versaretur, matrimonium redderet invalidum. Tunc autem censetur intentio contrahentis esse hujusmodi qualitati alligata, quando illa finem primum cum tali persona contrahendi constituit. Confer. hac de re Cl. P. Amort *Theol. Moral. Tom. 2. Tract. 15.*

fit. Veterum Pontificum decisiones, plurimumque Sanctorum exempla Tridentini decretum præcessere (*De convers. conjug. § 27. qu. 2.*) Decretales pleræque sub variis titulis idem tuunt.

Ex sancto Epiphanio (*Hæresi. cap. 78.*) & sancto Ambrosio (*De virgin. l. 3. c. 4.*) novimus, sanctum Paulum Theclam fidei mysteriis imbuisse, atque eidem auctorem fuisse, ut sponso dimisso virginitatem suam Deo dicere. Eandem historiam sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum scribens sic narrat: *Taceo nunc vestrum periculum. Ipsi jam timeo Apollonio, ne dæmoniorum doctrinam intulisse tunc Iconio videatur, cum Theclam oppignoratam jam thalamo in amore sermone suæ perpetuæ virginitatis incendit.*

Sancta Cæcilia prima nuptiarum nocte a Valeriano sponso suo se tangi non permisit, quia suam Deo dicaverat virginitatem.

Refert sanctus Augustinus (*Lib. 8. Confess. cap. 4.*), duos Imperatoris aulicos, lecta sancti Antonii vita, sponfas suas reliquisse, ut eremiticam vitam susciperent; ipsasque, hac mutatione audita, simile vitæ genus amplexas.

Si post exempla rationes libet inquirere, tres potissimas reperiemus. Prima est, quia semper licet a minus perfecto statu ad perfectiorem transire. Porro religiosus status sane est matrimonii statu perfectior. Hunc igitur licet deferre, ut alter eligatur, quando sine alterius injuria

juris eligi potest, sicut evenit cum matrimonium nondum est consummatum. Etenim si consummatum esset matrimonium duplex damnum immineret, filio videlicet forte concepto, seu filiis jam natis, qui patris matrisve in religionem ingressu eorundem auxilio privarentur; præterea conjux in sæculo manens non posset alteri nubere, durante priori vinculo; neque hoc soluto tam facile posset nubere post amissam virginitatem.

Deinde duplex distinguendum est matrimonii vinculum; aliud spirituale, quod ex solo conjugum consensu oritur, & aliud carnale, quod ex carnali conjunctione provenit. Porro postremum hoc vinculum morte corporali solvitur. Æquum igitur est, ut & spirituale civili & spirituali morte, qualis est religiosa professio, solvatur.

Tertio Christus Dominus apud sanctum Matthæum ait: *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (Cap. 19.). Hinc inferre licet, quod quamvis post carnalem conjunctionem matrimonium solvi nequeat, cum per illam facta sit duorum conjugum una caro; attamen ante istam conjunctionem solvi aliquo modo potest, quod tunc Ecclesia fieri decrevit, quando alter conjugum religiosum statum amplectitur.

Quemadmodum religiosa professio matrimonium non consummatum solvit; ita contra conjugum

jugum

jugum continentia illud non solvit, nec verum matrimonium esse desinit inter conjuges, qui qualibet carnali conjunctione abstinēt.

Primo quia carnalis cohabitatio non est de matrimonii essentia. Antequam peccaret primus homo, inter ipsum Evamque verum constat matrimonium, quamvis nondum carnali copula juncti fuissent; ipsis enim dixit Deus: *Crescite, & multiplicamini (Genes. 2.)*: & Adam ex lateris sui costa Evam formatam videns ait: *adhærebit homo uxori suæ.*

Secundo in matrimonii definitione nulla de carnali conjunctione fit mentio; unde inferunt illam non esse de matrimonii essentia.

Tertio conjugum sanctificatio, quæ hujus Sacramenti effectus est, carnalem conjunctionem præcedit; ergo multo magis Sacramentum ipsum hanc conjunctionem præcedit, nec ab illa pendet.

Quarto sancti Patres inter sanctum Joseph sanctamque Virginem verum fuisse matrimonium uno ore affirmant (inquit enim sanctus Augustinus *de Nuptiis lib. I. cap. II.*): *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Proles cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato.*

Idem ante Augustinum sanctus Ambrosius docuerat inquiens: *Nec illud moveat, quod ait, qui Joseph accepit conjugem suam. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen affiscitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum conjugitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur (De Virgin. t. 6).*

CAPUT II.

De impedimento matrimonium dirimente ex cognatione.

Triplex est cognatio: naturalis, legalis, & spiritualis. Naturalis cognatio appellatur consanguinitas: hæc est vinculum inter duas personas, quæ ex eodem proximo stipite descendunt, quod vinculum ex carnali generatione oritur, & matrimonium ad quartum usque gradum inclusive nullum reddit.

Ut cognoscatur cognatio, duæ distinguendæ sunt lineæ, recta, & collateralis. Recta linea illa est, in qua personæ una ab alia descendunt; sicut filius a patre, nepos a filio.

Hæc linea recta dividitur in lineam descendentium, quando descendendo per genitores geniti numerantur; aut in lineam ascendentium, quando a filiis ad patres numerando progredimur.

Linea collateralis illa est, in qua plures personæ ab eodem descendunt stipite, quamvis una aliam non genuerit: sic fratres in linea collateralis sunt consanguinei.

Ut

Ut sciatur in quo consanguinitatis gradu personæ sint, tres regulæ sunt observandæ. Prima quoad lineam rectam regula est, tot esse gradus, quot personæ, dempto stipite. Exempli gratia pater, filius, & nepos tres sunt personæ: si stipitem demas, qui est pater, patrem & filium reperies in primo esse gradu, filium & nepotem in secundo.

Secunda regula quoad lineam collateralem est, tot gradibus inter se distare personas, quot gradibus distant a communi stipite: hinc duo fratres sunt in primo gradu, duo consobrini in secundo, & sic de reliquis.

Tertia regula quoad eandem lineam collateralem est, gradum sumi a persona remotiore. Exempli gratia Petrus duos filios habet, Joannem & Paulum; Joannes autem filium habet Antonium, & nepotem Guilielmum. Si petas quo cognationis gradu sint conjuncti Paulus & nepos Joannis, id est Guilielmus, respondeo tertio, quia Guilielmus nepos Joannis tribus gradibus a primo stipite distat, nempe a Petro, siquidem cum quatuor in linea recta personæ extent, videlicet Petrus, Joannes, Antonius Joannis filius, & Guilielmus Joannis nepos, si unum demas, tres remanent. Igitur Paulus & Guilielmus Joannis nepos tertio consanguinitatis gradu sunt conjuncti.

Mundi initio, ut ejus incolæ auerentur, oportuit fratres sororibus in matrimonium copulari; sed postquam hi filios filiasque genuerunt, ab hujusmodi contrahendis matrimoniis des-

desitum est: fiebant præcipue matrimonia inter consobrinos, qui patrem vel matrem communem non habebant. Abraham Saram uxorem duxit filiam fratris sui, qui eodem patre natus erat, idest Thare, sed non eadem matre. Isaac uxorem duxit Rebeccam, quacum tertio consanguinitatis gradu jungebatur; Jacob vero uxores accepit Labani filias, qui matris suæ frater erat, quocum quarto consanguinitatis gradu erat conjunctus. Amram Levi nepos accepit uxorem Jochebed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron & Moysen (Exod. 6.). In Levitico (cap. 18. & 20.) plures enumerantur consanguinitatis gradus, in quibus matrimonia contrahere Deus vetat.

Pluribus sæculis matrimonia ad septimum usque gradum Ecclesia prohibuit. Innocentius Papa III. in Lateranensi Concilio hanc septem graduum prohibitionem ad quatuor tantum restrinxit (Greg. ep. 21. lib. 12. Nicol. I. 35. qu. 3. c. nulli, c. non debet extra de cons. & affin.), & Gregorius IX. hanc Constitutionem confirmavit, quæ adhuc in Ecclesia servatur.

Præceptum aliquid prohibens tripliciter naturale vocari potest. Primo quia res vetita adeo intrinsece mala est, ut mutatione nulla fieri unquam bona possit; sicut Dei odium, mendacium, & idololatria. Secundo quia res prohibita est quidem semper & ubique intrinsece mala, non tamen in extrema necessitate. Exempli gratia, vetitum est aliena invito domino rapere; attramen potest pauper in extrema necessitate id

Godeau Theol. Mor. Pars II. N n invi-

invito etiam domino surripere, quo opus habet, ne fame pereat, quia in extrema necessitate bona omnia sunt communia. Tertio quia verita mala quidem est absolute considerata, sed mutatis circumstantiis bona & permissa esse potest. Exempli gratia, hominem occidere est intrinsece malum, sed si per iudicis sententiam reus occiditur, non est ista actio mala.

Consanguinitas non ex naturali præcepto prohibetur, tertiive generis nullum reddit matrimonium. Etenim nulla est consanguineorum intrinsece mala conjunctio, ut nequeat Deus ab illa dispensare; quamvis consanguineorum conjunctio, quocumque gradu fiat, nude spectata, turpis sit & mala, ideoque naturæ lege vetita. Admodum dici generatim nequit, hujusmodi conjunctiones naturali lege esse prohibitas; siquidem ob justam aliquam causam, & in pluribus circumstantiis licitæ esse possunt. Quamobrem oportet, ut positivæ etiam specialesque leges existant, quæ determinant circumstantias, in quibus matrimonium inter consanguineos initum non solum sit illicitum, sed etiam nullum, nam quæ ad nullitatem lex specialis requiritur, siquidem multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, præcipue in contractibus.

Hinc præceptum matrimonia inter consanguineos prohibens, secundo tantum modo naturale dici potest, ita ut hujusmodi matrimonia non solum illicita sint, sed etiam nulla.

Primo prohibetur matrimonium inter filium & matrem. Secundo prohibetur inter filium patrem

patremque. Nationes quælibet solo naturæ ductu hæc matrimonia detestatae sunt, & Persarum morem, apud quos filius cum matre matrimonium inibat, reliquæ nationes damnarunt. Tertio prohibetur matrimonium inter fratrem ejusque germanam sororem, id est ex iisdem natam parentibus. Quarto prohibetur inter fratrem & sororem, quæ ex eodem patre, vel ex eadem matre nata sit. Quinto prohibetur inter privignum & novercam: quod peccatum sanctus Paulus in incesto Corinthio excommunicatione puniit. Sexto prohibetur inter vitricum & privignam. Idem de illis statuendum est, qui in linea recta quocumque gradu sunt juncti, de patruo scilicet, avo, & abavo, cum suis filiabus, aut neptibus. Ratio hujusce prohibitionis est pudor & reverentia, quam iis, qui se genuerunt, & quos patres vocant, patribus nempe, avis, abavisque debent filii exhibere. Civiles leges hæc matrimonia prohibuere, ut ex Justiniani Institutionibus discimus (*tit. de nuptiis*). Egregie sanctus Thomas de hisce prohibitionibus agit, quarum (*2. 2. qu. 154. art. 7.*) plures affert rationes (*a*).

Cate-

(a) Qui scienter attentant in prohibitis hisce seu consanguinitatis, seu affinitatis gradibus matrimonium contrahere, in utroque Jure graves pœnas incurrunt; de Jure canonico excommunicationem ipso facto a Clem. V. in Concilio Viennensi Generali latam per *Clem. un. l. t.* subeunt: debent etiam publice ut excommunicati denunciari. De Jure Civili Josephus I. Imperator pro Romano Imperio in Ordinat. Criminali art. 19 sanc-

N n 2

xit,

Cætera vero inter consanguineos & affines matrimonia, præter hæc recensita, cum non sint neque illicita, neque nulla, & cum graduum prohibitio, quæ in Levitico legitur, ad Mosaicam legem pertineat, nec Christi fideles obligare possit, siquidem Dei Filius in Evangelio nihil ad id spectans præcepit; merito infertur, nullum gradum præter recensitos, neque naturali jure, neque divino, Fidelium matrimonia posse impedire. Quapropter facultas datur est Ecclesiæ, ut legibus suis definiat, intra quos gradus matrimonia contrahere liceat, vel eadem contrahere non sit permissum; imo etiam invalide contrahantur; siue ad matrimonii honorem servandum, siue ad hominum concordiam tuendam, siue ad plura animarum damna vitanda. Deus in universum statuit, ut legitimæ personæ essent Sacramenti matrimonii subiectum, & ad illud suscipiendum aptæ; sed Ecclesiæ suæ auctoritatem tribuit declarandi, quæ sint legitime personæ & ad contrahendum aptæ; quæ matrimonii sint impedimenta: proinde potest ipsæ hæc impedimenta restringere, aut relaxare, & que dispensare in iis gradibus, in quibus iure ecclesiastico, non autem naturali, matrimonium est vetitum. Hac semper auctoritate usa est Ecclesia; & sanctus Gregorius magnus Angli-

xit, ut incestus inter parentes, & proles, inter cognatos in primo, & secundo gradu, & inter affines in primo gradu lineæ rectæ gladio puniatur. Hæc serviunt vel maxime Confessariis, & Parentibus ad absterrendum fideles ab ejusmodi incestibus intuitu tam gravis poenæ & infamiæ.

De impedimento matrimonium &c. 565

post eorum statim conversionem permisit, ut in quarto & in tertio etiam consanguinitatis gradu matrimonia contraherent. Tridentinum Concilium anathematè perculit hæreticos, qui docent Ecclesiam hujusmodi dispensationes concedere non posse. Caute tamen debent Pontifices hac facultate uti, & præcipue in secundo gradu non est dispensandum, ut ait Tridentinum, *nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Hispaniarum Reges consuetudine gaudent, ut amitas suas neptesque ducere possint uxores, ne regni jus extra regiam familiam exeat. At hujusmodi matrimonia felices non semper successus habuere; timendum imo est, ne occulto Dei judicio divina maledictio super ipsa descenderit. Porro si id affirmare licet de Regibus, qui ex publicis causis matrimonia ista celebrare possunt; privatis multo magis timendum est hominibus, qui non ex publicis causis, sed ex cupiditate, aut ex avaritia hujusmodi matrimonia contrahunt.

Idem dicendum est de gradibus affinitatis, quæ a marito contrahitur cum uxoris suæ consanguineis; & ab uxore cum consanguineis viri sui. In veteri Lege tenebatur frater fratris sui absque liberis defuncti uxorem ducere, ad fratris semen suscitandum. Ad septem olim gradus impedimentum affinitatis extendebatur, at in Lateranensi Concilio ad quatuor tantum est reductum, in quibus si absque Pontificis, aut Diocesani Episcopi dispensatione matrimonium contrahitur, est invalidum.

N n 3

Du

Duplex est spiritualis cognatio, quæ matrimonium contrahere vetat, & contractum infirmat. Prima est paternitas; quæ contrahitur inter baptizantem, si sit laicus, & baptizatum, vel quæ contrahitur inter personam, quæ de Baptismo puerum suscipit, aut de Confirmatione, & baptizatum ipsum, aut confirmatum. Secunda est compaternitas, quæ contrahitur a baptizante, & ab eo, cui puerum de Baptismo suscepit, cum carnali patre & matre baptizati. Hujus cognationis ratio est, quia Baptismus est spiritualis generatio, cui eadem reverentia est debita, quæ carnali paternitati tribuitur. De jure antiquo spiritualis cognatio oriebatur inter legitimos & naturales baptizantis filios & baptizatum, item inter legitimos patrini filios, & baptizatum, quæ vocabatur confraternitas: a Tridentinum Concilium (*Sess. 24. cap. 2.*) hanc sustulit, ideoque nullum hodie oritur impedimentum inter patrini aut baptizantis filios & baptizatum. Præterea *sancta Synodus statuit, ut unus tantum, vel unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahant. Patrinorum uxores non amplius, ut olim, cognationem contrahunt cum baptizato, vel ejusdem parentibus.*

De impedimento matrimonium &c. 567

Si ante matrimonium hæc spiritualis cognatio contrahitur, illud celebrare ipsa vetat; si autem matrimonio supervenit, non potest illud solvere, sed solum marito vel uxori jus adimit debitum conjugale petendi, quando alteruter cognationem contraxit, nisi aut ex ignorantia invincibili, aut ex inevitabili necessitate illam contraxisset.

Legalis cognatio illa est, quæ ex adoptione oritur, cujus ope naturalium filiorum carentia supplet, qui horum loco extraneos sibi adoptat. Porro adoptio impedimentum est, quod matrimonium ad quartum usque gradum inclusive nullum reddit, sicut consanguinitas.

Tres gradus adoptio continet: primus est inter adoptantem & adoptatum, hujusque filios & nepotes. Secundus est inter adoptantis filios & adoptatum; filios, inquam, legitimos. Tertius est inter adoptantis uxorem & adoptatum, item inter adoptantem & adoptati uxorem. Horum graduum differentia est, quod secundus non est perpetuus, & solum durat usque dum filii sunt sub patris potestate; nam patris morte, aut filii emancipatione; aut patria potestate cessante, impedimentum cessat; primus vero tertiusque gradus impedimenta sunt perpetua, quæ solum Pontificis dispensatione tolluntur.



CAPUT III.

De aliis impedimentis dirimentibus.

Impedimentum conditionis illud est, quando aliquis imprudens mulierem servam uxorem ducit, ducere putans liberam.

Conditio etiam hoc sensu accipi potest, ut sit stipulatio rei alicujus faciendæ ante matrimonium, & quadruplex est. Prima est contra bona matrimonii, quæ sunt proles, fides, & indissolubilitas. Contra bonum proles hæc esse conditio, si quis puellæ diceret: Ego te uxorem ducam, si medicamenta sumpseris, ut sterilis fias. Contra bonum fidei ista esset conditio: Te ducam, si aliis te prostituturam promittis. Contra indissolubilitatem vero hæc: Mea eris uxore donec aliam te ditiozem reperiam. Hæc tres conditiones matrimonium nullum reddunt (2. qu. 2. cap. solet. cap. aliquando.).

Secunda conditio vocatur turpis; quando maritus ab uxore petit, ut peccatum aliquod committat, quod tamen non est contra matrimonii bonum. Exempli gratia si dicat: Ego te uxorem accipio, si patrem tuum occidas, vel mille aureos fureris. Hæc conditio censetur non apposta, & nulla judicatur: quod si verum adfit consensus de præsentibus, in foro conscientie validum est matrimonium, licet in exteriori foro sit invalidum.

Tertia conditio est impossibilis; veluti si quis sciens sponsæ patrem esse mortuum dicat.

p. III. De aliis impedimentis dirimentibus. 569

Ego te uxorem accipio, si pater tuus consenserit. Hæc conditio sicut secunda censetur non apposita, & matrimonium in exteriori foro est validum: quod si interior consensus adsit, in foro quoque conscientia matrimonium valet.

Quarta conditio honesta est, & est duplex. Alia est conditio de præsentibus, aut præteritis: exempli gratia si viro dicat mulier: Ego te maritum accipio, si dives es, aut si pater tuus consensit. Tunc si vera est conditio, valet matrimonium; si vero falsa est conditio, matrimonium est invalidum.

Alia est conditio de futuro, velut si quis dicat: Ego te uxorem accipio, si pater tuus centum aureos mihi dabit. Tunc adest matrimonium, quando impleta est conditio, si contraheutes in eadem persistunt voluntate. Antequam vero impleatur conditio, nullum adest matrimonium; quod si interim vir aliam ducat, valet hoc secundum matrimonium; sed vir illud contrahens mortaliter peccat (*de condit. appos. cap. super ea.*).

Impedimentum raptus est, quando quis puellam de parentum suorum, aut tutorum domo rapit, & donec rapta in raptoris est potestate, si matrimonium contrahitur, illud est nullum. Ita decernit Tridentinum Concilium, additque: *Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decident. Teneatur præterea raptor*

ptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dote re (Sess. 24. cap. 6.).

Impedimentum criminis duplex est, aliud ortum ex homicidio, aliud ex adulterio. Ex homicidio, quando Antoninus exempli gratia uxoratus, volens cum Joanna matrimonium contrahere, uxorem suam occidit, si Joanna quoque crimen participet, & hoc sine homicidio fiat. Si harum conditionum alterutra desit, nulli si ambo crimen non participant, nullum est impedimentum.

Ex adulterio autem tripliciter impedimentum oriri potest. 1. Quando Petrus exempli gratia Nicolaum occidit, ut ejus ducat uxorem, qua adulterium commisit. 2. Si Claudius uxoratus matrimonium cum Catharina contrahat, quæ prioris matrimonii notitiam habet, & cum eadem concumbat. Si postea Claudii uxor moriatur, non potest ipse Catharinam ducere. 3. Si Petrus uxoratus cum scemina virgine carnaliter peccet, se illam ducturum promittens post uxoris suæ mortem.

Ordinis impedimentum est, quando quis sacris Ordinibus constitutus matrimonium contrahit.

Ligaminis impedimentum est, quando uxoratus, antequam matrimonium consummaverit, aliam ducit.

Si mulier maritum suum mortuum certo potestans alteri nubat, aut vir uxorem suam mortuam

p. III. De aliis impedimentis dirimentibus. 571

credens aliam ducat, neuter peccat, etiamsi conjugale debitum reddat & petat. Ubi vero novit mulier maritum suum adhuc vivere, non debet ipsa secundo marito debitum ultra reddere: quod si dubitat an maritus vivat, a petendo debito oportet ut absteineat, reddere autem semper debet. Vivens vero maritus uxorem suam primam recipere, nisi compertum sit ipsam cum secundo concubuisse, etiam postquam novit primum maritum adhuc vivere.

Votum solemne in religione ab Ecclesia approbata emissum reddit nullum matrimonium, si tertium sancti Dominici aut sancti Francisci Ordinem excipias. Clericus, qui post Ordinem sacrum, & Religiosus, qui post emissam professionem matrimonium contrahit, excommunicatur juxta Clementinam, & juxta Regum nostrorum edicta morte est plectendus (*Clement. 1. de consangu. & aff.*).

Cultus, seu religionis disparitas nullum pariter matrimonium reddit. Intelligendum id est de idololatriis cum christianis; ita ut nequeat infidelis christianam mulierem uxorem accipere; neque christiana mulier infideli nubere, siquidem invalida sunt hujusmodi matrimonia. Hæc matrimonia prohibet Apostolus inquitens: *Notite jugum ducere cum infidelibus* (2. Cor. 6.): Tertullianus (*ad Ux.*) fidelis cum infideli matrimonium vocat adulterium; & sanctus Cyprianus membrorum Christi prostitutionem. Primum Arelatense Concilium, & secundum Aurelianense (*can. 11. can. 18.*) præcipiunt, ut fidelis ab infideli conjuge separetur.

In-

In veteri Lege plura occurrunt exempla sanctorum Patriarcharum, quæ idololatrias fecerunt duxerunt uxores. Jacob Liam & Rachelem duxit, Joseph Ægyptiam mulierem, Moyse Medianitidem, Salmon Raab. Booz Ruth, David filiam Jessur, Salomon Pharaonis filiam; sed omnes istæ nubentes veri Dei cultum amplectuntur. Chalcedonense Concilium fidelibus permittit, ut cum idololatriis matrimonia incedant, si spes affulgeat idololatrias ad veram fidem perverturos. Sic sancta Monica Patritio nupsit, et Clotildes Regi Clodoveo, quos utraque ad veram fidem perduxit. Apostolus Paulus sic ait: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & consentit habitare cum illo, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocati nos Deus (1. Cor. 7.).*

Si infideles conjuges christianam religionem suscipiunt, debent in matrimonio antea inito permanere, quamvis illud contra canonicas leges contraxerint, dummodo nullum contra naturale jus adsit impedimentum. Hinc si in secundo, tertio, aut quarto consanguinitatis gradu contraxerunt, debent in matrimonio persistere.

quia hi gradus a canonico jure prohibentur, cui infideles minime sunt subiecti. Quod si in primo consanguinitatis gradu matrimonium celebrant, pater cum filia, filius cum matre, cum fratre soror, hæc sunt dissocianda conjugia, utpote naturæ juri repugnantia, & ab initio nulla.

Infideles (*cap. gaudemus, de Divortiis.*), qui plures duxere uxores, ad fidem conversi debent primæ, cum qua matrimonium inierunt, adherere: quod si nolit ista fidem suscipere, possunt e reliquis, quæ fidem suscipiunt, quam maluerint, eligere, cum qua denuo matrimonium contrahent (a).

Quando

(a) Advertunt hic Theologi, quod in casu, quo ambo conjuges infideles ad fidem Catholicam convertuntur, non teneantur renovare hujusmodi conjugati coram Parocho matrimonium; quia hæc renovatio fit in actuali susceptione baptismi, in qua inter alia promissa servandi leges Christianas ad servandum etiam indissolubiter matrimonium sese obligant, consequenter sub hac obligatione junguntur, & sub forma generica precum ab Ecclesia benedicuntur: ita docent Amort *l. c.* Pichler *l. 4. tit. 1. n. 126.* Sanchez, Laymann & Bonacina. In casu autem, quo infidelis cum persona hæretica in loco, ubi Tridentinum promulgatum non fuit, matrimonium contrahit, Benedictus XIV. in rescripto particulari: *Singulari* edito anno 1749. ad Henricum Cardinalem, docet, tale matrimonium, si ambo convertantur ad fidem Catholicam, coram Parocho esse renovandum: quia matrimonium prius ob impedimentum cultus disparis omnino nullum fuit. Egre-
gio

Quando duorum Judæorum conjugum alteruter, sive vir, sive mulier, christianam fidem suscipit, filii parvuli hunc sequi debent, & conjugum in judaismo permanente sunt separandi. Id intelligas de filiis non adultis, ante rationis usum, nam filii adulti in sua relinquendi sunt libertate, illosque ad fidem hortari decet, non cogere.

Cum hæreticis inita matrimonia illicita sunt, non autem invalida. Illiberitanum Concilium (*can. 15. 16.*), Laodicenum (*can. 13.*), Chalonense (*can. 14.*), & Toletanum tertium illa prohibent; & mortaliter quidem peccat catholicus hæreticam uxorem ducens, sed vale matrimonium.

Publicæ honestatis impedimentum (*cap. de sponsal. in 6.*) ex sponsalibus, & ex matrimonio rato, quamvis non consummato oritur. Hinc si Petrus exempli gratia sponsalia cum Jo-

gie de hac materia idem S. P. in eruditissimo opere de Synod. Dioces. l. 6. c. 4. differt. In casu autem, quo Catholici contrahentes contra Judicem vel mysta hæretico aut infideli contrahere jubentur, quid agendum sit, sacra Congregatio anno 1672. die 29. Novemb. sic respondit: *Quatenus Minister assistat matrimoniis Catholicorum, uti Minister Politicus, non peccare contrahentes: si vero assistat, ut Minister addidit sacre non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & esse monendos.* Hanc decisionem Benedictus XIV. in Rescripto ad P. Simonem a S. Josepho anno 1746. die 17. Sept. Apostolica auctoritate confirmavit.

anna valide contraxit, vel cum ipsa matrimonio
nium etsi invalide inivit, non potest cum Joan-
næ consanguinea matrimonium contrahere.

De hoc impedimento Tridentinum Concilium
sic statuit: *Iustitiæ publicæ honestatis impedi-
mentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida
non erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi
autem valida fuerint, gradum primum non exce-
dat (Sess. 24. cap. 3.).*

Impedimentum impotentiae maxime est natu-
rale, quia prae reliquis opponitur matrimonio
(*cap. laudabilem, cap. litteræ, extra de frigid.
& malef.*); oportet autem hanc perpetuam esse,
nec absque miraculo sanandam, aut sine
gravi corporis animæve damno, & tribus jam
annis perseverasse. Oportet etiam ut matrimo-
nium ipsa præcesserit; nam quæ matrimonium
subsequitur, illud non dirimit: possuntque con-
juges, quibus hæc advenit, simul tamquam fra-
tres vivere, actus siquidem conjugalis, ut dixi-
mus, non est de substantia matrimonii.

Male hoc ævo impedimento isto plerique
abutuntur; multi enim conjuges, in quibus mu-
tuus conjugalis amor extinctus est, non dubitant
hoc impedimentum proferre, ut matrimonium
dissolvant. Mox maritus idem, qui se prius
impotentem fassus est, cum alia matrimonium
contrahit, & liberos gignit: hinc in perpetuo
vivit adulterio, & mortali vix expiabili peccato.

Senes, sterilesque personæ, quæ conjugii
opus exercere possunt, licet gignere non valeant,
pos-

possunt matrimonium contrahere. Pueri autem ante decimumquartum ætatis annum, & puella ante duodecimum non possunt valide contrahere, nisi malitia, ut Canonistæ loquuntur, suppleat ætatem.

Duplex est vis. Prima absolutam necessitatem affert, & omne adimit voluntarium, ne vim patienti liberum ullum motum relinquat; atque hæc vis matrimonium reddit nullum.

Alia est vis, qua fit ut voluntas metu ad id eligat faciatve, quod absque hoc metu ne faceret nec eligeret. Hæc vis voluntarium non penitus adimit, ita ut actio adhuc aliquo modo sit voluntaria; sicut cum mercator ad vitandum naufragium merces suas in mare projicit, eas projicit, quia vult projicere, quamvis periculi metus ad projiciendas impellat, qui si abesse, easdem non projiceret.

Præterea duplex distinguendus est metus; etenim alius est metus, qui in constantem virum cadere potest, & alius, qui in imbecillum infirmumque hominem: uterque autem justus esse potest, vel injustus. Primus timor cadens in virum constantem, quia gravia mala a levioribus seipsum distinguere, nec iisdem facile cedit, hic timor, inquam, matrimonium reddit nullum, quando est injustus: at metus, qui solum in imbecillum infirmumque hominem cadit, non reddit matrimonium invalidum.

Si constanti viro metus juste incutiatur; et impli gratia, si iudex mortem minetur alicui,

nisi puellam ducat, quam corrumpit; aut si reo optio detur, ut vel capitali sententiæ succumbat, vel meretricem ducat; hic metus invalidum non reddit matrimonium.

Ratio, propter quam metus injuste incussus matrimonium nullum reddit, est, quia cum matrimonium sit contractus indissolubilis, quidquid huic indissolubilitati repugnat, impedit, quin contractus sit validus. Porro metus constanti viro injuste incussus matrimonii indissolubilitati repugnat, & proinde consensus ex hoc metu præstitus matrimonium irritum facit: hunc vero metum indissolubilitati repugnare inde apparet, quod vim passus conqueri semper jure potest, quod vim passus conqueri semper jure potest, consensus suum fuisse vi extortum, ideoque petere, ut pristina sibi libertas donetur. Ille autem, cui metus juste incussus fuit, non potest jure conqueri, vi extortum fuisse suum consensum, siquidem justus fuit metus eidem incussus.

Quod de viro dixi, etiam de muliere est intelligendum, si quidem metus mulieri injuste incussus matrimonium ab ea initum nullum reddit, si ob incussum sibi metum ipsa contrahat: verum cum scemina infirmioris sexus sit quam homo, levior etiam metus ejusdem consensum infirmare valet.



CAPUT IV.

*De ultimo impedimento dirimente scilicet
de clandestinitate.*

Impedimentum clandestinitatis consistit in defectu assistentiæ Parochi, & aliorum duorum testium ad contractum matrimonialem presentem; sancta Synodus Tridentina impedimentum hoc sessione vigesima quarta capite primo verbis istis introduxit: *Qui aliter, quam presente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parocho seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabilis reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsentem decreto irritos facit, & annullat.*

Matrimonia igitur clandestina in iis locis, ubi concilium præfatum fuit promulgatum, omnino invalida sunt; decrevit enim eadem Synodus citata mox sessione canone *imo.* ut hoc suum decretum vim fortiatum a die promulgationis in quavis Parochia: Concilium autem conclusum, ac confirmatum fuit die 26. Januarii anno 1564. ex quo consequitur matrimonia clandestina in illis locis valida esse, quæ jam ante illum annum a fide Catholica defecerant, & promulgationem Concilii excluferant (a).

No

(a) Talia loca sunt *Anglia, Suecia, Dania, Saxonia, Brandenburgia, Hassia, Hannoverana, Pomerania.*

Non obstante autem legitima legis Tridentinae promulgatione matrimonium clandestinum a persona catholica contractum est validum in eo loco, ubi observantia concilii sine periculo gravis damni aut temporalis, aut spiritualis in praxim deduci nequit; nec enim aliae leges Ecclesiasticae cum periculo gravis damni obligant, nisi detur specialis ratio urgendi legem etiam cum tali periculo ob bonum publicum: hanc opinionem Theologorum nonnulli ex declaratione quadam Gregorii XIII. & Clementis VIII. item ex sententia Congreg. Cardinal. anno 1603. emanata colligunt (a).

Non

merana. Econtra promulgatum fuit Concilium non solum in *Italia, Hispania, Lusitania, Polonia, Austria, Bavaria* & aliis locis Catholicis, sed teste Cabassutio etiam in *Gallia* anno 1602. & nunc per Em. Cardinalem *Colonitsch* etiam in *Hungaria.* De *Belgio,* quod a fide vera primum anno 1570. defecit circa promulgationem Concilii dubium decidit Benedictus XIV. per Decretum *Matrimonia.* 4. Novemb. anno 1741. editum, quo declaravit matrimonia ibidem contracta esse valida, etiam non servata Tridentini lege, eaque deinceps contrahenda esse valida, sive fiant ab haereticis, sive, quod graviter illicitum est, ab haeretico conjuge & Catholica uxore.

(a) Ex observantia legis Tridentinae moraliter impossibili propter gravia damna exinde emergentia Canonistae moderni deducunt, matrimonia Accatholicorum coram suo Praedicatorum celebrata in terris germanicae esse valida; extendunt etiam ad has regiones Bullam Benedicti XIV. pro Belgio datam, eoquod eadem rationes pro Germanis

Non minus valet matrimonium clandestine contractum a sponsis Catholicis, quæ se ante in ejusmodi regiones, ubi promulgatio Tridentini non est facta, domicilium ibi, vel quod domicilium figendi receperunt; tales enim non agunt in fraudem legis: imo ab *Urbano VIII.* anno 1627. in una Colonienſi die 14. Aprilis data: *Exponi nobis*: sic fuit declaratum. Aliud est si id genus personæ in tales regiones ex hoc precise motivo se conferant, ut ibidem clandestine contrahant: sic enim manifeste in fraudem legis agunt (a).

Ut impedimentum hoc in vero sensu suo et satius intelligatur, tria potissimum bene advertenda sunt, quinam nempe nomine Parochi veniant, quid ex parte Parochi ad condignam matrimonii assistentiam requiratur, & quid ex parte testium, ut valide matrimonium celebretur, exigatur. Quoad *primum* nomine Parochi, cuius præsentiam Tridentinum præscribit, veniunt
 1. Episcopus, Vicarius Generalis, & Capitulum Cathedrali sede vacante in propria diocesi

2. Ab

militare ipsis videantur: ex praxi Ecclesiæ constat, tales conjugatos, si ad veram fidem convertantur, ad renovandum coram Parochia Catholico consensum matrimonialem non obstringi.

(a) Plures de hoc casu Cardinalium declarationes Benedictus XIV. *Notificatione*, seu *Institutione Ecclesiastica* 33. allegat. *La Croix* l. 6. p. 3. n. 712. & *Lunigius* in *Spicilegio Ecclesiastico* memoratum Urbani VIII. Decretum sincere referunt.

2. Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suo territorio, & legati Apostolici in sua provincia. 3. Vicarii curam animarum loco Rectoris Principalis vel Parochi exercentes, sive deim sint temporanei, sive perpetui. 4. Cooperatorum per modum Vicarii *generaliter* curæ animarum in aliqua Paroecia destinati, qui munus Parochiale in omnibus, quibus illud locum habet, obeunt; perinde enim est, sive expressam, sive tacitam a Parocho delegationem habeant. Matrimonii Vagorum valide assistit quilibet Parochus, in cujus Parochia actu morantur: vagi enim, prout dicitur in Tractatu de legibus, subjiuntur legibus locorum, in quibus morantur. Ut autem Parochi ejusmodi matrimoniis etiam licite assistant, Ordinarii ad hoc licentia indigent; ita expresse Tridentina Synodus Sess. 24. c. 7. his verbis mandavit: *Parochis autem præcipit, ne illorum (scilicet vagorum) matrimonii intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Tunc vero contrahentes duntaxat pro Vagis habendi sunt, quando ambo sunt Vagi: si etenim una tantum pars vaga sit, & altera pars quasi domicilium habeat, necessarium est, ut ob individuam vitæ societatem una pars alteram sequatur (a).

Quoad

(a) Parochus proprius militum est Curio Castrensis ad exercendam eorum curam specialiter deputatus: dubiis circa eorum matrimonia nunc optime provisum est per consuetudinem Principum Catholicorum, qui ex indulto summi Pontificis

Quoad *secundum* ex parte Parochi, ut matrimonio valide assistat, sequentes conditiones requiruntur. 1. Ut sit proprius Parochus saltem unius contrahentium, videlicet vel sponsi, vel sponsæ. 2. Ut sit unius contrahentium Parochus ratione domicilii vel saltem quasi domicilii; non autem præcise ratione originis: in communiter Theologi sentiunt.

Attamen longe plura sunt, quæ ex parte Parochi ad valorem matrimonii non exiguntur. *1mo.* Non exigitur, ut intra fines suæ Parochiæ matrimonio assistat: hæc siquidem assistentia Jurisdictionis non contentiosæ, sed voluntaria actus est, quæ ubique terrarum iudice etiam non requisito exerceri potest. *2do.* Ad valorem matrimonii sufficit, licet vel violenter, vel dolo inductus assistere compellatur: adhuc enim proprii Parochi vera præsentia habetur. *3tio.* Non requiritur, ut sit Sacerdos: satis enim est, si sit verus & proprius Parochus; quinimo validum subsisteret matrimonium, etsi non foret verus Parochus, dummodo concurrente titulo saltem colorato ex communi errore pro vero Parochia habeatur: alias quandoque fidelibus vix satis provisum esset. *4to.* Non obstat, si sit excommunicatus, suspensus, vel irregularis: quia non obstantibus hisce pœnis verus manet Parochus, nec ante actualem depositionem Parochiale Beneficium amittit. *5to.* Denique valor matrimonii non tollitur.

supremum quemdam Curionem Castrensem Jurisdictione quasi Episcopali in reliquos Curiones constitutum designare sapientissime consueverunt.

litur, quamvis Parocho specialiter ab Episcopo interdictum sit, ne contractui matrimoniali assistat: hæc enim omnia faciunt quidem, ut assistentia matrimonii illicita fiat, non tamen, quod invalida sit.

Quoad *tertium* demum, ut valide matrimonium ineat, ex parte testium sequentes conditiones requiruntur. *Prima* est, ut ad minimum duo vel tres sint. *Secunda*, ut testes idonei sint, hoc est, sufficienti rationis sanæ discretione præditi ad recte testificandum de eo, quod agitur. *Tertia*, ut sint moraliter præsentis, id est, ut ad contrahentium dicta, ac facta animum advertant. *Quarta* Licet ad validitatem matrimonii non requiratur, ut testes sint *specialiter rogati*, graviter nihilominus Parochi peccare censentur, nisi testes specialiter rogatos adhibeant; intentio siquidem Tridentini, ubi exigit duos, vel tres testes, non ad confusam hominum quorumvis multitudinem fertur, sed eos solum respicit, qui in omnem eventum de contracto matrimonio legitimum testimonium exhibere possint: repugnare autem intentioni Oecumenicæ Synodi in re tam seria sine justa causa, & cum periculo frustrandi finem concilii, magna esse temeritas videtur (a).

Expo-

(a) Quod concernit pœnas, quas incurrunt tam illi, qui clandestine contrahunt, quam etiam ipsi Parochi, qui matrimonio clandestino assistunt, imprimis hoc modo contrahentes ab Episcopo pœna arbitraria puniendi sunt; dein Parochi salu-

Exposito nunc genuino hujus impedimenti sensu ad ipsa nunc matrimonia clandestina breviter discutienda progredimur. Clandestina matrimonia duplicis sunt generis: quaedam tam secreto & abscondite contrahuntur, ut nullus ad testis; alia coram testibus quidem fiunt, sed absque solemnitatibus a jure & ab Ecclesia requisitis. Prima proprie sunt clandestina; secunda minus proprie, quia personis aliquibus sunt cognita.

Utraque semper damnavit Ecclesia, sed illa praecipue, quibus nullus testis intervenit; quia cum haec in foro Ecclesiae nullo pacto probari queant, innumera hinc scandala oriri possunt. Cum enim inordinatus amor hujusmodi matrimonia plerumque suadeat, saepe evenit, ut irae conjuges sibi que invicem aversi datam fidem revocent, & nova ineant conjugia; vel si abeuntem conjugem alter retinere velit, non potest hic probare verum inter se adesse matrimonium. In primo casu, qui a se invicem discedunt, ut novum alibi matrimonium ineant, in perpetuum adulterio vivunt, & illegitimos filios gignunt: si vero maritus, qui clandestinum antea matrimonium contraxit, postquam aliam uxorem duxit, facti poenitens ad primam tamquam legitimam

berrima hoc Concilii Oecumenici statuta infringere ausi; vel alienos Parochianos sine licentia proprii illorum Parochi conjugere praesumentes, ipso jure tamdiu suspensi sunt, donec ab Ordinario alterius Parochi absolvantur: sic expresse Tridentinum Sess. 24. c. 1. statuit.

Ecclesiæ judicio reverti velit, id exequi nequit, cum primum matrimonium idoneis testibus probare non possit; sed cum secunda conjuge ecclesiastico judicio vivere cogitur, cui secundæ conjugii conjugale debitum reddens semper adulterium committit.

Utriusque generis clandestina Tridentinum Concilium damnavit. Nam quoad ipsa etiam secundi generis matrimonia, testes, coram quibus fiunt, mori possunt, aut corrumpi; unde memorata jam scandala oriri possunt. Secundo cum matrimonium sit Ecclesiæ Sacramentum, postulat religio ut ab Ecclesiæ ministris celebretur, ecclesiastica forma, & cæremoniis. Tertio denunciationibus ante matrimonium factis, plura matrimonia fieri impediuntur in vetitis consanguinitatis gradibus.

Igitur post Tridentini Concilii decretum utriusque generis clandestina matrimonia sunt nulla, quæ valida, prius erant juxta Romæ Ecclesiæ consuetudinem. Id ex antiquis Canonibus probatur, quos affert Gratianus. Lateranense Concilium ita matrimonia clandestina prohibet, ut eadem nulla esse non declaret, at post Tridentinum Concilium an nulla revera sint dubitare est nefas. Sufficit ut illud Decretum in iis diocæsis publicatum fuerit, ubi hujusmodi matrimonia fiunt.

Parochi præsentia ea esse debet, ut ipse Ecclesiam repræsentet, vel dum Sacramentum administrat, cujus est Minister, vel saltem necessarius testis consensus, quem contrahentes sibi in-

vicem præstant. Si esset furiosus, vel ebrius, aut dormiens, matrimonium coram ipso celebratum esset nullum; non enim tunc censetur adesse, quando aptus Minister vel testis esse non potest.

Præsentia utriusque Parochi, viri nempe & mulieris non est necessaria: sufficit, si adit alteruter; Parochus viri in ejusdem parochia, Parochus mulieris in parochia ipsius; sicut sacra Congregatio declaravit sub Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII.

Si Parochus extra parochiæ suæ limites sine Episcopi facultate sponfos in matrimonium conjungeret, peccaret quidem Ecclesiæ legem violans; attamen matrimonium esset validum; quemadmodum si Parochus subditos suos extra parochiæ fines absolvat, absolutio est valida.

Parochi testiumque præsentia non est necessaria, quando a conjugibus novus est præstandus consensus, quia ob occultum aliquod impedimentum invalide prius contraxerunt; sed sufficit præsentia Presbyteri, ad quem dispensatio missa est exequenda. Sic declaravit Pius V. Pontifex, ut refert Doctor Navarrus.

Si sponsi coram alieno Parocho matrimonium contrahant, quia proprius eorum Parochus est hæreticus notorius, aut fugit, aut laet, aut obiit; nullum esset hoc matrimonium, nisi alienus Parochus de licentia Episcopi eidem matrimonium assisteret.

Quand

Quando matrimonium pravia nulla denunciatione contrahitur, peccat Parochus eidem assistens, peccant & contrahentes, nisi Episcopi adsit dispensatio. Facile etiam evenire potest ut matrimonium ob occultum aliquod impedimentum sit invalidum, quando ex levi qualibet causa denunciationum dispensatio petitur; & obtinetur: satius propterea esset, si fideles Ecclesie leges exacte servarent; nec ex ambitione, ut se a populo fecernant, aut ex impatientia, vel ex cupiditate, ut eidem citius indulgeant, dispensationes has peterent.

Eum in finem eum sacra Synodus scopum sibi præfixum circa matrimonia clandestina plene assequi desideret, etiam de novo publicas proclamationes in matrimoniis ineundis fieri præcipit; sic enim Sess. 24. c. 1. decernit: *Cum sacra Synodus gravia mala perpendat, quæ ex clandestinis conjugis ortum habent, idcirco S. Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denunciatur, inter quos matrimonium contrahendum sit, quibus denunciationibus factis si nullum legitimum interponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesie procedatur. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur; deinde*

inde

inde ante illius consummationem denunciations in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciations remittantur, quod illius prudentiæ & iudicio sacra Synodus relinquit.

Ex hac Tridentini doctrina plura sponuntur corollaria. 1. Denunciations hujusmodi sub præcepto gravi obligare, ita, ut graviter peccet, qui illas sine Episcopi licentia omittit: istud enim præceptum materiam ex se gravem concernit. 2. Parochum graviter peccare, qui unam vel alteram ex tribus denunciationibus sine omni causa omittit: quia legem concilii transgreditur in materia, quam securitas boni publici ex trina denunciatione intenti sub gravi præcipi exigit. 3. Item eundem graviter peccare, si absque gravi causa tribus non festivis diebus denunciations instituat: quia praxis hæc intentioni Ecclesiæ, & fini generali ab ipsa intento, videlicet morali diligentia quoad investiganda matrimonii impedimenta ab Ecclesia præscripta graviter repugnat. 4. Non minus Parochum graviter peccare, qui vel absque expressa Ordinarii dispensatione, vel extra casum necessitatis proclamationes hæc post matrimonium contractum differt: quia lex Concilii Oecumenici mutari nequit, sed tantum pro casu particulari extraordinario propter grave motivum urgentis veræ necessitatis dispensari (a).

(a) Pluribus malis ex denunciationum neglecta originandis Decreta synodalia dioceseos Augustanae sapienter

Ex allato Concilii textu bene quidem deducitur, Episcopum, aut ejus Vicarium generalem in his denunciationibus accedente justa causa posse dispensare (a) hanc autem potestatem S. Synodus Parochis nequaquam concedit, sed ad summum Episcopum aliquam relinquit pro casu necessitatis extraordinario, ubi dispensatio expectari nequit. Causæ porro ad licitam dispensationem omnes ad hanc generalem causam requiruntur, scilicet, si verum periculum gravis damni appareat, quod ex denunciationibus sponso, vel sponsæ obveniret, nisi denunciationes vel ex toto, vel ex parte omittantur.

Ut vero cunctis fraudibus ac dolis omnis via occludatur, requiritur, ut proclamationes in utriusque contrahentis parochia fiant; sic præscribitur in *Synodo Coloniensi* anno 1662. c. 2. §. 5. his verbis: *Si matrimonium contracturi sint diversarum parochiarum, in utraque fiant pro-*

sapientissime præcaverunt; in his enim part. 2. c. 10. n. 13. sic legitur: *Parochi diligenter examinent, an inter contrahentes ullum impedimentum intercedat.*

(a) Benedictus XIV. in Bulla: *Satis vobis.* anno 1741. 17. Novemb. edita Episcopos ita adhortatur: *Periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliore ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari: licet enim Episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, hæc tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur artis prudentiæ, discretique arbitrii legibus.*

proclamationes; nec ante Parochus unius ad matrimonii solemnem actum, nisi habito ab altero Parocho testimonio, quod præscriptæ proclamationes in sua parochia legitime factæ fuerint, et de nullo constet impedimento, procedat. Ita patet Gregorius XIII. declaravit.

Si itaque denunciationes juxta præscriptam Tridentini instituantur, & ex illis, qui eas percipiunt, quidam reperitur, qui alicujus inter sponsos latentis impedimenti conscius sit, sub gravi talem defectum Parocho manifestari tenetur, sive sciatur a sponso, sive ab iis ignoretur: ita enim non solum reverentia Sacramento debita, & obligatio naturalis impedienti peccatum proximi, sed & grave onus præcepti Ecclesiæ obediendi postulat. Nihilominus, si ab uno sponso ignoretur, charitatis ordo exigit, ut non statim Parocho, sed prius parti ignoranti manifestetur; si dein spes fructus non affulgeat, parentibus sponso revelandum, quod si neque hac via malo medela pareat, Parocho intimandum erit, non obstante, quod vel secreto naturali, vel etiam juramento secreti servandi tale impedimentum sciatur, eoque hujusmodi secreta vel juramenta in casu proposito essent vincula iniquitatis, subruerentque bonum commune, quod necessario exigit, ne matrimonia invalide contrahantur.

Ast enimvero quid, si sciens impedimentum sibi vel suis ex revelatione grave malum imminere prudenter timeret? in hoc arduo casu nonnulli hanc tradunt regulam, quod, si ex memo-

festatione impedimenti aut grave scandalum, aut grave damnum vel revelanti vel alteri innocenti obveniat, obligatio revelandi cesser: quia (ut dicunt isti Auctores) nec lex charitatis, nec reverentia Sacramenti, nec præceptum Ecclesiæ cum gravamine tanto obligant. Contrarium sentiunt, si sponsi ipsi simile impedimentum sciant; tunc enim vel a matrimonio ineundo desistere, vel dispensationem petere tenerentur, licet ex revelatione infamia sequatur: quia, cum ita contrahere lethale peccatum sit, utique ab hoc perpetrando desistere omni modo obstricti essent.

CAPUT V.

De impedimentis impedientibus.

Expositis iis, quæ ad sufficientem notitiam impedimentorum dirimentium pertinent, nunc etiam ea, quæ de impedimentis impedientibus scitu necessaria sunt, paucis pertractantur. Prævie autem circa quævis impedimenta, seu illa matrimonium dirimant, seu duntaxat impediant, observandum venit, quod nulla ignorantia, etiam invincibilis ab utriusque generis impedimentis incurrendis quempiam excuset: impedimenta siquidem a jure Ecclesiastico non præcise in pœnam statuuntur, sed ex eo potissimum fine, ut homines ab illis actionibus, quibus impedimentum aliquod affigitur, magis absterreantur (a).
Impe-

(a) Benedictus XIV. cum adhuc Bononiensem Archiepiscopatum moderaretur, universis, qui in sua

Impedimenta, quæ matrimonium non tollunt, sed tantum ejus usum impediunt, & contractum ipsum reddunt illicitum, in rigore solummodo quatuor numerantur; si autem & veteris disciplinæ ratio habeatur, quinque, nimirum, sacrum tempus, vetitum, simplex votum, sponsalia, catechismus, & crimen numerantur.

Quando Episcopus, vel ejus generalis Vicarius, aut Judex matrimonium contrahere alibi prohibent, donec controversum examinetur impedimentum, aut lis aliqua finiatur; si ille, cui facta est prohibitio, matrimonium contrahit, mortaliter quidem peccat, sed validum est matrimonium, nisi aliquod ex supra recensitis impedimentum adsit.

Complectitur quoque interdictum Adventus & Quadragesimæ tempus, quò Tridentinum Concilium prohibet non quidem matrimonium celebrare, sed solemnem ejusdem celebrationem Gallicanæ Ecclesiæ consuetudo est, ut nullo modo hoc tempore celebrari matrimonium queat: proinde ad ejus celebrationem Episcopi requiritur dispensatio.

Votum simplex castitatis, aut religionis matrimonium contrahi impedit, sed contractum non irritat. Quicumque post hujusmodi votum nubunt, mortaliter peccant dum matrimonium

sua diocesi curam animarum gerebant, Institutionem LXXX. scripsit de iis matrimoniis, quæ vetitis temporibus contrahuntur, si proin hac materia casus dubius emergeret, Eximius Auctor consuli posset.

contrahunt, & quoties conjugii opus exercent. Si autem hujusmodi votum alteruter tantum conjugum emisit, non potest hic conjugale debitum ab altero petere, sed tantum reddere expresse aut tacite petenti, nisi dispensationem a Papa aut ab Episcopo obtinuerit. Qui vero vovit, debet votum suum castitatis aut religionis implere, si alter conjux moriatur (*Soto lib. 8. de just. & jure. Toletus lib. 7. cap. 18.*); quod si alterum matrimonium contrahat, denuo quoque peccat.

Quoad sponsalia, si quis cum aliqua iniit sponsalia, nequit cum alia matrimonium celebrare: quod si illud contrahat, mortaliter peccat, nisi justa adsit causa solvendi sponsalia; attamen matrimonium subsistit.

Catechismi impedimentum est, quando quis adultum aliquem tanquam patrinus ante Baptismum catechizat, qui eandem cum ipso cognationem contrahit, veluti si de Baptismo aut Confirmatione ipsum susciperet, hoc solum excepto, quod Catechismus matrimonium contrahi quidem impedit, sed illud non reddit invalidum, sicut invalidum est, si quis cum illa contrahat, quam de Baptismo aut Confirmatione suscepit. Non conveniunt Doctores, utrum mortaliter ille peccet, qui cum hoc impedimento matrimonium contrahit.

Plura sunt crimina, quæ matrimonium olim impediabant, sed non reddebant invalidum.

Mariti incestus (*cap. 1. de eo qui cogn. con- sangu.*) cum uxoris suæ consanguinea, aut uxoris cum mariti sui consanguineo, ad quartum usque gradum, impediēbat, ne maritus vel uxor, post conjugis mortem, possent ullo umquam tempore aliis se matrimonio copulare; non tamen illud, si contraheretur, nullum reddebat.

Qui uxorem suam occidit, potest juxta veterem disciplinam (*33, qu. 2. c. admon.*) eum alia matrimonium contrahere: quod si uxorem occidat, ut adulteram ducat, invalidum cum hac est matrimonium. Impedimentum tamen istud ad uxorem non extenditur, quæ virum suum occidat; de illa enim Canones mentionem non faciunt.

Alienæ sponsæ raptus efficit, ut neque raptor neque cum illa, neque cum alia matrimonium celebrare.

Si conjuges legitimi, unus, aut ambo, ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si inuupti permanere voluerint, bonum est, si autem, gravis pœnitentia insidiatori injungitur, & simul maneat; & si prævaricator conjugii supervixerit, accerrima pœnitentia mulsetur, & sine spe conjugii maneat (*30. qu. 1. cap. de eo.*).

Qui presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei secundum canones imponatur: convictus usque ad ultimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii maneat (*cap. qui Presbyt. de pœn. & rem.*)

Qui cum Religiosa matrimonium contrahit, ipse quoque spe conjugii privatur.

Sciat Lector, quæcumque nos de matrimonio hæcenus attulimus, ea nos præcipue a Cardinali Tolero, & a doctissimo Estio in Sententias accepisse (dist. 27. & seq.).

Potestas dispensandi in impedimentis impediens Episcopo in sua diocesi competit, si votum perpetuæ castitatis, & Religionis amplectendæ excipias: hæc enim sibi summus Pontifex reservavit. Quod concernit dispensationem in sponsalibus, neque in iis Episcopus dispensare potest, quinimo nec Papa sine gravissima causa in hypothese, quod sponsalia valida juramento firmata sint: jus enim acquisitum alteri, & insuper juramento firmatum, cum bonum commune respiciat, non nisi ob gravissimam, ac bono publico necessariam causam a sumæ sedis Antistite auferri potest. Si autem valida sponsalia juramento roborata non fuerint, Papa quidem ex justa causa, non vero Episcopus dispensare potest; potestas enim dispensandi in casu, quo alteri tertio jus jam est acquisitum, penes solum supremum Principem esse censetur: sic saltem Jus Canonicum in cap. 2. ex litteris: de sponsal. & matrimon. decernere videtur (a).

Ex

(a) Cum inter impedimenta impediens votum castitatis locum habeat, auferri hoc loco plane meretur cujusdam doctissimi Theologi monitum Confessariis datum, ne puellas in sæculo manentes ejusmodi votum emittere concedant, nisi hæc

P p a

tria

Ex hac doctrina satis perspicuum est, quid sentiendum sit de illa Casuistarum quorundam opinione, qui occurrente aliquo circa usum matrimonii impedimento omnem dispensandi facultatem in Confessarios transferunt, cum facultas ista nec vera sit, nec necessaria; non verum fundamentum enim solidum nec ratio gravis, nec sacrorum Canonum auctoritas præbet, quin potius Ecclesia jubet, ut in re sacramentaria sententiam probabiliorem, & tutiorem sequamur. Neque necessaria est potestas, cum utique ad Ordinarium, vel ejus Generalem Vicarium facilis accessus pateat, ut ibi dispensatio petatur, ubi certa illam dandi potestas habetur.

tria concurrant. 1. *Ætas* valde matura, quæ triginta ad minimum aut quadraginta annos excedat. 2. *Constans* in præterito vitæ tempore, & exacta castitatis observantia. 3. *Sufficiens Patrimonium*, ut a virorum consortio sequestretæ suis sumptibus possint vivere. Qui huic merito acquiescere noluerint, se tam salutare consilium sprevisse, suo tempore certe dolebunt. Vid. P. Amort *Tract. XV. §. III. Tomi II. Theol. Moral.*



SECTIO IV.

DE

REDINTEGRATIONE MATRIMONII,
EJUSQUE DISSOLUBILITATE.

CAPUT I.

De matrimonii invalidi redintegratione.

Ex allatis haecenus impedimentis facile constat, matrimonium variis subinde modis vel illicitum, vel invalidum posse evadere; primum praestant impedimenta, quae impediunt: alterum impedimenta, quae dirimunt. Cum autem & publica utilitas, & Ecclesiae pia intentio eo collimet, ut matrimonia a fidelibus non solum valide, & licite ineantur, sed etiam ut juste & legitime inita continerentur, hinc etiam sanctissima mater Ecclesia, ut tam bono publico communis, quam bono privato conscientiae prospiciat, clementiam suam in eo vel maxime ostendit, quod cujusvis generis impedimenta, quae vel illicitum, vel nullum reddunt conjugium, tollere non dedigneretur; hunc in finem dispensationis gratiam recte petentibus elargitur: praeterea varios etiam modos, quibus matrimonium ex defectu quodam invalidum redintegretur, subministrat.

Circa dispensationem impedimentorum dirimentium cum primis certum est, Romanum Pontificem, non in omnibus posse dispensare; dantur enim ex illis quædam, quæ juris naturalis sunt: in jure autem naturali humana potestas proprie dispensare nequit. Certum pariter est, quod in aliis, quæ sunt juris Ecclesiastici, Papa, tamquam supremum Ecclesiæ caput potestatis ordinaria solus possit dispensare; illius enim solius est dispensare, cujus solius est legem condere: sic etiam Tridentina Synodus Sess. 24. can. 3. statuit. Nihilominus ut etiam in his posterioris generis impedimentis summus Pontifex licet dispense, subesse debet gravis causa: dispensationes enim esse legum vulnera nemo ignorat.

Dicitur autem fuit, quod *Pontifex solus potestate ordinaria* in impedimentis dirimentibus possit dispensare; Doctores siquidem communiter, pie, & prudenter existimant, quod in aliquo casu extraordinario Episcopus, tamquam specialiter a summa sede delegatus dispensare possit: præterea consuetudo sic dispensandi jam pridem invaluit. Primus casus, in quo Episcopus veluti specialiter delegatus dispensare potest, videtur esse, quando impedimentum animadvertitur, antequam matrimonium contrahatur; at tamen tales circumstantiæ urgeant, ut absque gravi infamiae nota, vel gravi scandali periculo, vel aliquo alio gravi incommodo moraliter certo nuptiarum celebratio tamdiu differri nequeat, quousque legitima dispensatio sit obtenta: non enim apparet credibile, quod in hujusmodi

modi circumstantiis summus Pontifex dispensationem sibi reservare velit (a), utpote cum talis reservatio non in ædificationem, sed in destructionem fidelium redundaret.

Alter casus, in quo Episcopo delegata videtur dispensandi potestas, habetur, quando de matrimonio jam celebrato publice constat; impedimentum vero inter conjuges, qui ambo, vel unus saltem, bona fide contraxerant, occultum est, ita quidem, ut nec conjuges sine gravi infamia, gravi scandalo, alteriusve gravis mali evidente periculo amplius separari possint, nec recursus propter certas circumstantias ad Papam, aut ejus legatum moraliter possibilis sit: in hoc sane casu Pontifex omnino irrationabiliter invitus esset circa dispensationem ab Ordinario indulgendam. Papa enimvero ignorare nequit, hanc opinionem & a Theologis doceri, & ab Episcopis in praxim deduci: cum ergo nec sententiæ isti, nec praxi illius contradicat, huic doctrinæ silentio suo subscribere censetur (b).

Com-

(a) Benedictus XIV. in suo nunquam satis laudando opere de Synodo dioecesana lib. 7. cap. 31. fol. 572. ad propositum nostrum ita scribit: *Præsumendum est, summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam requisitus, ei certe non esset denegaturus.*

(b) Alter hic casus procedit de conjugibus, quorum alter saltem bona fide contraxerit; nam si utraque pars mala fide contraxisset, aut tametli impedimentum ignorarent, denunciations ad matrimonium prærequisitas sine licentia omisissent,

Complures equidem casus hi loci afferri possent: attamen regula generalis esto, toties Episcopo dispensandi facultatem abjudicari non posse, quoties vel de impedimentis occultis, vel de accessu ad Pontificem moraliter impossibili, vel denique de morali certitudine gravium inconvenientium ex dilatione prævisorum agitur in talibus siquidem circumstantiis pro Episcopo potestate stat inconcussa præsumptio.

Legitimas dispensandi in impedimentis dirimentibus causas nonnulli auctores tribuunt in duas classes; prima continet illas, quæ ex se graves, & sufficientes sunt: altera eas refert, quas ut graves, & obtinendæ dispensationi proportionatas causas stylus Romanæ curiæ describit. Primi generis causæ comuniter allegantur sequentes. 1. Reconciliatio familiarum inter se valde ac diu discordantium. 2. Difficultas maxima intra regionem sponsum vel sponsam aqualem inveniendi. 3. Propagatio familiæ illustri intra eundem sanguinem. 4. Conservatio ampliarum Ditionum, ingentiumque opum in eadem prosapia. 5. Insigne promeritum de Ecclesia. 6. Grandis oblatio pecuniarum ad aliquod opus valde pium erogandarum. 7. Eradicatio infamiæ, seu magni scandali.

plures Theologi putant, recurrendum esse ad Pontificem, & veram in hac hypothese manere reservationem; sicut enim fundate conicitur, Pontificem in casu bonæ fidei saltem unius ex contrahentibus annuere, ita prudenter creditur, quorundam fraudi & iniquitati eundem non favere.

Ex hisce quidem causis aperte colligi potest, quod circa impedimenta matrimonii facilius cum Nobilibus, ac opulentis dispensari soleat, quam cum pauperibus: hoc tamen vitio acceptionis personarum nequaquam vertendum est; hæc namque dispensandi facilitas non præcise ex tali vel tali statu hominum, sed ex gravi motivo oritur, eoquod nimirum ipsi Ecclesiæ quam plurimum expediat, habere personas hujusmodi erga se bene affectas, ex quarum insigni favore non modicas ad Dei gloriam utilitates procurare solet: præterea bono publico, etiam civili summopere prodesse censetur, si divitiæ in illustri quodam stemmate conferrentur, nec in plures familias dispergantur, quarum nulla deinceps valeat tanta in publicis necessitatibus bono communi subsidia elargiri.

Causæ secundi generis enarrantur istæ. 1. Si inter Oratores dispensationem super gradus consanguinitatis petentes copula intercesserit, quæ si habita fuerit ex intentione dispensationis eo facilius obtinendæ, id exprimi debet; quia tunc dispensatio difficilius conceditur, & gravior pœnitentia imponitur: quod si vero hæc circumstantia omittatur, dispensatio est invalida. 2. Si sit vehemens suspicio copulæ ex nimia familiaritate inter Oratores. 3. Est ætas puellæ excedens vigesimum quartum annum, & hæc de causa manentis innuptæ. 4. Angustia loci, qualis in pagis, parvisque oppidis habetur, ubi incolæ fere omnes inter se vinculo consanguinitatis, aut affinitatis alligantur. 5. Periculum hæreseos in

Vicinia Hæreticorum. Ex his ergo quinque causis una plerumque in petitione dispensationis exprimitur; si tamen his prætermisissis exprimitur aliæ, & Papa in dispensatione, omisissis causis, quæ expressæ fuerant, unam ex quinque elatis exprimat; idcirco dispensatio invalida non est, sed præsumitur, quod licet causa ab Oratore intimata sit iudicata sufficiens, exinde in dispensatione non sit allegata, quia non est de stylo curiæ: tamen si proin causa in rescripto dispensationis expressa non subsisteret, valida nihilominus dispensatio foret, dummodo causa in petitione expressa subsistat (a).

Circa modum redintegrandi matrimonia, quæ occurrente impedimento dirimente invalide sunt celebrata.

(a) Plura, circa dispensationem, ut licita sit ac valida, in tractatu de legibus pertractari solent; hic loci adhuc breviter quædam sedulo notanda restant: 1. Ad valorem dispensationis præcipue circa impedimenta requiritur, ut motivum & verum sit, & adhuc, dum dispensatio obtinetur, subsistat. 2. Ut in petitione nihil eorum omittatur, quæ vel a jure vel a curiæ legibus postulantur. 3. Ut nihil retineatur, propter quod dispensatio aut nullo, aut nonnisi limitato modo concederetur; hinc non solum gradus consanguinitatis aut affinitatis, sed & copula, si qua præcessit, exprimenda est; dein si matrimonium sit attentatum aut omnino jam contractum, & denunciations factæ, vel omisissæ: denique plura forte ejusdem vel diversæ rationis impedimenta Oratores ligent. Plurimæ equidem dantur dispensationes: ast raro reapse validæ, vel omnino licitæ inveniantur.

celebrata, plurimæ, eæque graves admodum difficultates sese ingerunt, his ut, quantum fieri potest, satisfiat, sequentem tradimus doctrinam. *1mo.* Si matrimonio jam contracto impedimentum obstat, quod & ex se occultum est, & nulli manifestationis periculo subjacet, ad illud redintegrandum, omiſſa omni ſolemnitate, ſufficit, ut ſublato impedimento inter conjuges conſenſus renovetur; Tridentina etenim lex ex una parte caſum hunc non comprehendit, & ex altera parte non obſtante hoc caſu finem ſuum conſequitur, qui eſt, ut de celebrato matrimonio publice conſtet: iſtud autem reapse conſtat, quando defectus eſt occultus, ita, ut non poſſint, viventibus illis conjugibus aliæ nuptiæ contrahi. Aſt ſi impedimentum aut ex ſe notorium, aut proximo revelationis discrimini obnoxium ſit, tunc ſane conſenſus horum conjugatorum coram Parocho & teſtibus renovari debet; lex namque præfati Concilii non alio modo ſuum intentum in caſu propoſito fortiri poſſet, eoquod valor matrimonii publice & ſufficienter non probaretur: quia probato ſemel impedimento alter conjux, ſi revalidatio tantum occulte fieret, a novo ineundo matrimonio impediri nequiret.

2do. Si matrimonium, antea ſolemniter celebratum, ex defectu veri conſenſus in utroque conjuge fuit invalidum, tunc uterque conjux novum conſenſum libere præſtare, eumque ſigno exteriori invicem manifeſtare debet; ſi vero ex defectu veri conſenſus in uno conjugum invalidum fuerit, juxta S. Thomam *quæſt. 47.*
Sup.

Supplem. art. 4. S. Bonaventuram, Sotum, Navarum, & Paludanum, ad illud revalidandum sufficit, si ille, qui sine vero consensu contrahendo, signo quodam exteriori consensum manifeste, maritali saltem affectu copulam petendo: in altero autem conjuge nec notitia de tali defectu, nec renovatio consensus requiritur, eoquod consensus verus a parte inscia, & ex se legitime contrahente præstitus, adhuc habitualiter seu moraliter perseverare præsupponatur. Nec obstat, quod incertum sit, an pars altera consensus suum sub eo tempore non revocavit: si enim conjugaliter vixerint, tamdiu consensus datus perseverare jure præsumitur, quamdiu eundem fuisse retractatum certo non constat. Nihilominus nemo ambigit, & tutius, & melius esse, si ejusmodi conjux, qui ex defectu veri consensus nulliter contraxit, cauta dexteritate procuret, ut etiam pars impedimenti ignara consensus retractaret, dummodo periculum absit, ne de non præstito consensu suspicionem moveat, & exinde separatio, quæ scandalum pariat, oriatur.

3tio. Si matrimonium ex quovis alio impedimento dirimente nullum sit, ad hoc ut redintegretur, plura requiruntur. 1. Petenda est dispensatio. 2. Priusquam hæc obtineatur, pars nullitatis conscia nullo modo reddat debitum, & multo minus petat, cum revera non sint conjuges. 3. Uterque conjux novum consensum præstare, eumque signo exteriori exprimere debet, cum anterior utriusque consensus fuerit nullus, utpote inter personas ad contrahendum he-

hendum inhabiles; præterea in referipto dispensationis semper referuntur verba isthæc: *Ut conjux de nullitate prioris consensus certioretur, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur.* Ratio autem hujus faciendæ manifestationis est; quia alioquin pars impedimenti inscia, novum consensum non eliceret, sed ratificaret ab initio datum, qui, cum nullus fuerit, ratificari nequit: igitur certior reddi debet, & quod prior consensus nullus fuerit, & quod propterea novus sit præstandus.

In ejusmodi casu, ubi inter conjuges mutuus, isque fervidus persistit amor, circa reparandum ab utraque parte consensum, non magna admodum difficultas habetur; ast ubi conjugalibus affectus vel numquam vehemens fuit, vel a longo jam tempore refriguit, tunc certe renovandi consensus modus se prodit intricatissimus: varios equidem modos solvendi nodum hunc gordium Theologi subministrant, attamen res tanta sagacitate est pertractanda, ut nec crimen detegatur, nec scandala separationis exurgant. Cum vero hæc, & alia gravissima mala vix ac ne vix in hypothesi, amoris conjugalibus mutuo extincti præcaveri possint, hinc si id genus conjugati ob invincibilem impedimenti ignorantiam in bona fide cohabitent, & aliunde mala plurima prudenter omnino timeantur, Confessarii nullitatem matrimonii propalare caveant, & ad majora mala evitanda tales uxoratos in bona fide relinquant; si vero ignorantia invincibilis circa impedimentum non adsit, ex ipsis conjugum circumstantiis

ma-

matura discretionē modum restaurandi consensus, & manifestandæ nullitatis Confessores expiscari fatagant: modum sufficientem si non inveniunt, rem Deo precibus comendent, & Ordinarium, vel ejus generalem Vicarium, vel viros doctos consulant (a).

CAPUT II.

De dissolubilitate matrimonii consummati.

Matrimonium consummatum, si & licite & valide initum fuerit, jure naturali esse indissolubile, cum Doctore Angelico *Supplem. quæst. 67. art. 2.* universa Theologorum corona docet: solutio enim ipsius repugnat divinæ institutioni, cum institutum sit ad significandam Christi cum Ecclesia unionem: hæc autem omnino indissolubilis est. Repugnat pariter ista solutio finibus matrimonii, legitimæ videlicet prolis susceptioni, convenienti ejusdem educationi, & fidei conjugum ipsorum conjunctioni. Matrimonium hoc non minus jure divino esse indissolubile, indicant illa Christi verba, quæ *cap. 19. Matthæi* leguntur.

(a) Si unquam, in his certe difficilimis casibus cautissime procedendum, nec proprio, licet docto, & perito, judicio facile fidendum: ubi enim summi, iique in disciplinis Theologicis versatissimi Viri difficultatem prorsus arduam fatentur, qua fronte illi, qui tribus vel quatuor annis Theologiæ addiscendæ operam navarunt, in danda resolutione aut faciles, aut perveraces se ostendere præsumunt, ubi & propria & penitentis æterna salus tam graviter periclitatur?

leguntur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Id ipsum Paulus 1. Corinth. c. 7. attestatur. Denique jure Ecclesiastico firmari eandem indissolubilitatem, sacri canones satis aperte eloquuntur. Nulla proin humana potestas matrimonium consummatum solvere quoad vinculum potest; dictum est: *Solvere quoad vinculum.* Illud enim *quoad thorum solvi, & verum inter conjuges divortium ex gravibus causis ab Ecclesia institui posse constat.*

Utut vero tanta sit matrimonii consummati quoad vinculum indissolubilitas, a Deo tamen illud solvi posse non est dubium; licet enim Deus circa prima juris naturalis principia dispensare nequeat, eoquod oppositum illis sit intrinsece, & absolute malum, quod ab infinita justitia permitti non potest ut licitum: dispensare nihilominus valet circa secunda juris naturalis præcepta, ad quæ juxta divum Thomam matrimonii indissolubilitas pertinet. Non obest profecto facta jam mutua corporum traditio: quia cum Deus sit supremus, & absolutus omnium creaturarum, omniumque earundem jurium Dominus, conjugale jus, quod invicem in corpus alterius habent, ab ipsis auferre, & in alium transferre potest. Neque obstant mala alias ex ejusmodi solutione nasci solita: quia, cum infinitæ potestatis sit, ea omnia facile impedire aut omnino tollere potest. Quam parum vero Theologi ambigunt de potestate divina circa solvendum matrimonii etiam consummati vinculum, tam acriter disceptant, utrum vel quomodo Deus seu

in antiqua, seu in nova lege circa ejusmodi dissolutionem dispensaverit; in lege antiqua difficultatem inducere famosus ille repudii libellus videtur: in lege nova controversiam matrimonia infidelium ad fidem converforum ingerunt in casu, quo pars una in errore infidelitatis perseverat.

Quantum ad *primum*, quaeritur, utrum, sicut judæis polygamia in lege veteri ex Dei dispensatione fuit licita, sic etiam repudium ipsi licitum fuerit, ita, ut viris, uxoribusque repudiatis nova cum aliis connubia licite iniri poterint; Durandus, Scotus, Paludanus, Cajetanus, & Abulensis repudium Judæis non permittunt, sed etiam licitum fuisse arbitrantur: e contra Magister sententiarum, alique plurimi Doctores tenent, repudium Judæis numquam licuisse, sed ipsis impune solum fuisse permittum, ita, ut non a culpa, sed a pœna adulteris debita esset immunes (a).

Poste-

(a) Doctor Angelicus loco superius citato *art. 3.* circa hanc quaestionem problematice procedit. Super usum libelli repudii converforum a Judaismo ad Catholicam fidem *Benedictus XIV.* anno 1747. 16. *calend. Octob.* specialem Bullam: *Apostolici Ministerii munus*: edidit. In hac primo refert, quosdam Judæorum ad veram fidem converforum uxoribus in Judaismo persistentibus libellum repudii mittere; dein declarat, quod licet istud in lege veteri permittum fuisset, in nova tamen lege sit prohibitum: denique decernit, ut deinceps Judæi ad alias nuptias non transeant, nisi uxores in errore pertinaces pacifice cohabitare recusarint. Contrarium facientes severis pœnis mulctandos esse præcipit.

Posterior sententia satis fundate erui posse videtur ex responso Christi ad Phariseos, quod cap. 19. Matthæi sic legitur: Qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Animadvertendum est dixisse Phariseos, Moyses mandavit, Christum autem dixisse Moyses permisit, tamquam minus malum, ut majus malum vitaretur, nempe uxoris occisio, quam uxoribus infensi mariti facile commisissent. Hoc quoque sensu permissum erat Judæis, ut extraneis fœnerarentur: Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno. Sanctus Augustinus Christi verba explicans ait: Dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur, sed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicienti uxorem libelli cogitatio temperaret (lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 14.). Eodem sensu dixit sanctus Hieronymus: Moyses libellum repudii dari jussit, non dissidium concedens, sed auferens homicidium.

Porro id ob graves tantum causas erat permissum. In Deuteronomio sic inquit Deus: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam sceditatem, scribat libellum repudii, & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua (cap. 24.). Eodem in libro ista leguntur: Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inveni virginem (cap. 22.). Ex his duobus textibus inferatur, non solum mariti odium aut iracundiam cessant fuisse, cur permitteretur repudium, sed ob istas quoque causas illud permissum. Hæ causæ apud Ethnicos non minus, quam apud Judæos erant, adulterium, veneni suspicio, lepra, mores corrupti, insignis corporis deformitas, hisque similia.

Quantum ad *secundum* communis quidem videtur Theologorum sententia, matrimonii consummati vinculum in nova etiam lege solvi posse, in hoc saltem unico casu, quo conjux infidelis in suo errore perseverans cum altero conjuge ad veram fidem converso pacifice, & sine contumelia salvatoris cohabitare nolit: tunc enim pars fidelis ad alias nuptias transire poterit. Privilegium hoc dicunt Doctores in favorem veræ Religionis a Christo fuisse concessum, & istis Apostoli verbis intimatum: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi* (I. Corinth. 7.).

Tali autem privilegio pars fidelis uti licite non potest, nisi pars altera infidelis ad pacificam cohabitationem invitata sine contumelia Salvatoris cohabitare nolit. Ita expresse statuit *Innocentius III.* in illo famoso capitulo quando de divortis (a).

Vinculum porro matrimonii consummati in casu proposito juxta sententiam magis receptam non solvitur, antequam pars fidelis aliud contraxit: unde si infidelis contrahat aliud matrimonium, & postea convertatur, ad priorem conjugem fidelem inuictum redire debet. Si autem vir infidelis, qui convertitur plures habeat uxores, illam retineat, si pacifice cohabitare velit, quam primam duxit; cum hac enim dumtaxat valide contraxit; quia in presentis Religionis statu post adventum Christi supremi omnium Domini, ejusque declarationem, matrimonium ab ipso reductum fuit ad primariam sui institutionem, ut unus uni jungatur.

Extra

(a) Si conjux infidelis lateat, vel absit, ita ut circa pacificam cohabitationem interpellari non possit, dispensatio summi Pontificis erit necessaria; illius enim est declarare, an in quibusdam circumstantiis desinat obligare præceptum divinum, quo prædicta interpellatio ante rescissionem matrimonii videtur esse injuncta. Sic in causa quadam Florentina anno 1722. die 17. Januarii sacra Congregatio Concilii decidit. Idcirco Benedictus XIV. anno 1745. die 6. Januarii Constitutionem edidit, *In suprema*, qua sedis Apostolicæ in dominio Venetorum pro tempore existentis facultatem

Q q 2

tem

Extra hunc casum conjugis infidelis ad fidem conversi, altera parte in errore perdurante, nec pacifice cohabitare volente non datur alius casus, in quo vinculum matrimonii consummati valide contracti dissolvi possit. Ita statuit sacra Synodus Tridentina definiens: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam habitationem, aut affectatam absentiam a conjugē, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Et *Can. 7.* *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utroque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse altero conjugē vivente aliud matrimonium contrahere, mæcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, qui dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.* Falluntur proin hæretici, qui præter casum infidelitatis alios adhuc casus, in quibus vinculum matrimonii consummati solvi possit, effingunt.

Nec Concilii definitionem enervant illa Christi verba *Matthæi cap. 19. quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur;* juxta communem namque sanctorum Patrum interpretationem verba allata sic intelligenda sunt: *quicumque dimiserit, sub-*
audi,

tem concessit dispensandi cum Neophytis in loco pio Cathecumenorum Venetiis ad fidem conversis, super interpellatione prioris conjugis in infidelitate permanentis.

audi, quoad thorum, & cohabitationem, nisi ob fornicationem mæchatur, id est, reus est mæchæ uxoris; quia (ut dixit cap. 5.), facit eam mæchari, & qui aliam duxerit, ex quavis causa, mæchatur, id est, ipse adulterando. Verba igitur illa concedunt licitam dimissionem perpetuam uxoris, quoad thorum duntaxat, & cohabitationem, non autem quoad vinculum; ideo subdit statim, & aliam duxerit, mæchatur: si enim dimissio intelligeretur etiam quoad vinculum, aliam ducendo plane non mæcharetur.

CAPUT III.

De dissolubilitate matrimonii rati.

Matrimonium fidelium baptizatorum ratum duntaxat (de quo supra jam egimus) seu, quod idem est, in facie Ecclesiæ licite quidem, & valide contractum, sed carnali commercio necdum consummatum per solemnem Religionis ab Ecclesia approbatæ professionem quoad vinculum dissolvitur; ita decernunt sacri canones cap. Verum: & cap. ex publico de conversione conjugatorum: ita pariter ultimum Concilium Oecumenicum Sessione 24. can. 6. definit his verbis: Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. Ratio hujus dissolubilitatis est; quia ista conditio: nisi Religionem profitear ante consummationem, jure Ecclesiastico, & forte etiam divino contractui salutem tacite addita esse censetur; hæc autem

conditio cum boni communis felicitatem, eligendi nimirum perfectiorem pro anima statum, respiciat, altera pars jus suum particulare cedere debet, eo vel maxime, quia jus illud absque ulla honestatis suæ jactura cedit.

Dicitur fuit: *Matrimonium necdum consummatum*: tempus siquidem duorum mensum conjugibus conceditur ad consummandum ex debito matrimonium, ita, ut ante istud tempus neuter ab altero ad consummandum obligari possit: elapso autem bimestri a die celebrati matrimonii debitum petenti uni parti pars altera injuste denegaret, & denegando graviter peccaret. In casu autem, quo denegationem debiti, quamvis illicite, ad plures alios menses protraheret, nec matrimonium consummaret, illudque probari posset, adhuc religionem ingredi, & sacram professionem emittere valeret.

Dicitur quoque fuit: *quoad vinculum*: religiosa enim professio ab uno conjugum valide emissa hunc habet effectum circa matrimonium ratum, ut pars altera in sæculo relicta ad secundas nuptias libere convolare possit. Nihilominus hic bene advertendum, quod parti in sæculo remanenti non liceat ad ingressum religionis ab altera parte factum quantocumque alteri nubere: solo siquidem religionis ingressu nemo sæculo moritur, & statui religioso perenniter mancipatur: sacra proin professio est expectanda.

Solubilitatem vinculi in matrimonio rato per electionem status perfectionis minime impediunt illa Christi verba: *quod Deus conjunxit, homo non separet*; ea enim intelligenda esse de matrimonio consummato satis vindicant verba, quæ immediate præcedunt: *quia jam non sunt duo, sed una caro*. Hoc utique non nisi de consummato matrimonio verificatur. Nec obstat, quod matrimonium etiam ratum conjunctionem Christi cum Ecclesia significet; duplex namque Christi cum Ecclesia conjunctio distinguitur, una per caritatem, & altera per incarnationem. Prima solubilis est, non quidem ex parte Christi, qui nobiscum semper manere cupit, sed ex parte membrorum Ecclesiæ, quæ quamprimum lethale peccatum admittunt, caritatem amittunt, adeoque a Christo separantur; hujus autem conjunctionis symbolum est matrimonium ratum: secunda conjunctio, quæ fit per incarnationem, insolubilis est & ex parte Christi, & ex parte membrorum Ecclesiæ, hujusque conjunctionis symbolum est matrimonium consummatum. Si uxor intra bimestre debitum denegat ex eo, quod religionem ingredi eamque profiteri revera cogitet, interea autem a marito opprimitur, privilegio ingrediendi & profitendi religionem inter viduas non privatur; nemo etenim sine sua culpa, & multo minus per injuriam alterius jure suo privandus est: maritus vero tale quid agendo contra justitiam gravissime peccat, & propterea facta etiam uxoris professione ad contrahendum aliud matrimonium liber non remaneret, eoquod ipse, quantum est ex parte sua,

Q 9 4

illud

illud consummavit, & consequenter vinculum indissolubile subiit (a).

Disputant Theologi, an conjux alteri petenti debitum denegare istud possit, ad merum finem jure suo utendi, quin de profitenda religione reapse cogitet? affirmant hoc nonnulli ex eorum ratione: quia forte eo tempore a Deo ad statum religiosum vocabitur. Negant alii plures, & quidem longe probabilius, quia privilegium negandi debitum ex solo motivo subeundæ Religionis concessum est. Hoc autem vel maxime verum est, si de Religionis ingressu nihil cogitur in altero conjuge, debitum petente, incontinenti periculum, gravem indignationem, aut amoris conjugalis extinctionem omnimodam prudenter prævideat, quæ inconuenientia plusquam sufficientia sunt.

Porro non obstante præfato privilegio graviter omnino peccaret, qui cum hoc positivo animo infra bimestre Religionem ingrediendi, & interea debitum negandi matrimonium iniret, tum quia in circumstantia valde notabili altera pars contrahens injuste decipitur: tum quia gravatur notabilissimo incommodo expectandi per integrum annum, donec alter profiteatur:
tum

(a) Doctrina hæc locum habet, si in allato casu uxor violentæ sui oppressioni reuera, & serio, quantum potest, resistat; si enim non resistat, in consummationem matrimonii & ipsa consentisse, & privilegio ineundæ Religionis renunciasse censetur: æque proin ac vir vinculum indissolubile subiit.

tum denique quia si Religionem ingrediens non profiteatur, adeoque ad conjugem relictum redire compellatur, extinctus amor conjugalis non nisi difficillime iterum resuscitari poterit. Aliud plane dicendum foret de illo conjugē, cui post celebratum rite matrimonium repente inspiratio Religionis amplectendæ insurgit: hic enim ad relata modo inconvenientia mere permissive se habet.

Posteaquam nunc explicatum est, quomodo, & quando vinculum matrimonii tam rati, quam etiam consummati dissolvi possit, paucis modo exponendum superest, quomodo aut quando remanente conjugii vinculo matrimonii dissolutio quoad thorum fieri possit, aut debeat; communiter autem duæ hujus dissolutionis legitimæ causæ allegantur, major videlicet vitæ perfectio, vel crimen alterius conjugum: major vitæ perfectio intelligitur, quando vel ambo conjuges religiosum statum eligunt, vel unus de consensu alterius Religionem ingreditur, eamque profiteatur, in quo posteriore casu pars in sæculo remanens debet emitteere votum perpetuæ castitatis, statim ac alter professionem emisit, prout statuunt sacri Canones (*cap. 4. & 8. de conversione conjugatorum*); alias enim in ingressum Religionis vere consensisse non videtur.

Quod nunc dictum est de ingressu Religionis, hoc etiam asserendum est, si vir de licentia suæ uxoris sacris Ordinibus initietur, dummodo ipsa castitatem voveat; id autem sic intelligendum est, ut, si vir sit septuagenarius, & uxor quin-

quagenaria, sufficiat, quod uxor votum castitatis perpetuæ coram testibus deponat: si vero ætatem hanc definitam necdum attigerint, præter emissum votum uxor etiam monasterium ingredi tenetur, eoquod alioquin periculis incontinentiæ non satis provideretur. Hoc autem verum est, etiamsi in casu quodam particulari id genus pericula non extarent: hæc siquidem leges non in præsumptione facti, sed in præsumptione juris fundantur. Illud pariter hic loci bene est observandum, quod vir, si de licentia uxoris ad Episcopatum promoveatur, non aliter sit assumendus, nisi illa prius ad ingressum Religionis obstringatur. Ita definiunt sacri Canones in speciali capitulo *Sane de conversione conjugatorum (a)*.

Altera causa circa ejusmodi dissolutionem quoad thorum crimen alterius conjugis habetur. Ejusmodi crimina sunt adulterium, fornicatio, bestialitas, sodomia & incestus, ob quæ a parte innocente in perpetuum licite fieri separatio potest: sic enim Jura sacra (*Tit. de Divortis*) expresse statuunt.

(a) Causa licita dissolvendi matrimonium quoad thorum pariter est votum castitatis ab utroque conjugate ex mutuo consensu emissum; antequam autem tale votum fiat, multa, & matura cum viris doctis, ac probis consultatione opus est, neque in hoc Confessarii faciles se, aut nimis credulos præbeant. Eadem, & forte longe major cum viris sapientibus, ac timoratis consultatione instituenda erit, si conjuges sine voto in statu continentiæ vivere eligant: non raro enim hæc prætextu pessima intentio delitescit.

tuunt. Quinimo maritus ad faciendum divor-
tium quandoque tenetur, si nempe uxor non re-
sipiscat, ne in crimine cum eadem participet;
ita S. Thomas (*quæst. 62. Supplem. a. 2.*) docet
his verbis: *Si autem uxorem non pœniteat, te-
netur dimittere, ne peccato consentire videatur,
dum correctionem debitam non apponit.*

Aliæ item causæ legitimæ, quæ in Jure re-
censentur, ad faciendum verum & licitum divor-
tium sufficiunt. *Prima* est, si tanta sit alterius
sævitia, ut sine periculo illi cohabitare nequeat.
Secunda, si unus conjugum fixo tempore tantam
rabiam erga alterum exhibeat, ut de gravi ali-
quo malo sibi prudenter metuere possit. *Ter-
tia*, si pars una alteri vitam reapse adimere
attentaverit. *Quarta* si unus conjugum alterum
pluries ad Deum graviter offendendum sollicitet,
ita, ut se in gravi labendi periculo constitutum
cognoscat, & alter non desistat. *Quinta* si pars
una a vera fide defecerit. Ubi propter hos casus
divortium sequitur, & dein delictum vere emen-
detur, tunc conjuges iterum conjungi, & in
sancta pace cohabitare tenentur. Cæterum di-
vortia non privato conjugum vel Confessarii ju-
dicio, sed per sententiam Judicis Ecclesiastici
fieri debent; quod si ejusmodi sententiam per
errorem latam esse compertum fuerit, juxta sa-
eros Canones (*cap. Lator Extra: de sententia,
& re judicata*) conjux, qui illam obtinuit, al-
teri conjugi reconciliari, & affectu conjugali
cohabitare tenetur.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

PRO